MEMORABILIS HISTORIA PERSECVTIONVM, BELLORVMQVE

in populum vulgò Valdensem appellatum, Angrunicam, Luserneam, Sanmartineam, Perusinã, aliásque regionis Pedemontanæ valles incolentem, ab anno 1555, ad 1561, religionis ergô gestorum:

Anno M. D. L X I I, *Gallicè primùm in lucem ædita, nunc verò à Christophoro Richardo Biturige, Latinitate donata.*

AD MAGNIFICVM ET GENEROSVM DOMINVM, D. IOANNEM Antonium Tillerium illustriss. Reipubl. Bernensis Senatorem & Quæstorem ærarium.

1. Regum 14. & 2. Chron. 14.

Non est difficile Domino seruare in multitudine aut paucitate.

GENEVÆ,
Excudebat Eustathius Vignon.

M. D. LXXXI.

Pedemonti, propè montem Vesulum, conuallis est Lusernensis, vocata ab oppidulo Luserna ad ipsius fauces sito. Huic contigua est & alia Angrunia, à fluuio Angrune denuncupata: cui vicinæ sunt Perusa, & Sanmartini conualles. Habent ad quindecim incolarum millia illæ conualles: quorum bona pars aliquot ab hinc seculis puriorem Euangelij doctrinam professa est, & etiamnum hodie profitetur. His conuallensibus Valdēsibus appellatis, multi præsunt nobiles, sed summum Principem, Ducem Sabaudiæ agnoscunt.

MAGNIFICO AC GENEROSO VIRO PIETATE AC VIRTUTUM OMNIUM GENERE insigni, D. Ioanni Antonio Tillierio Illustrissimæ Reip. Bernensis Senatori & Quęstori ęrario, Domino suo colēdissimo: Gratia & pax à Deo Patre per Dominum nostrum Iesum Christum.

Quemadmodum nos vir Magnifice ac Generose, infestissimus ille salutis nostræ hostis Satan multis machinis adoritur, modò fraudibus, modò verò aperta vi, nihilque non tentat & mouet vt fidem nostrā labefactet, atque à vera Christi confeßione deterreat: ita nos alacres & proptos eſſe decet ad nos omni armorū genere muniendos, quæ ad fidē nostram aduersus eius artes & technas valido præsidio firmandā præstò eſſe poßint. Interea autē quæ in tam graui certamine ad

nos inuicta fiducia armandos, nõ parum valent, exẽpla eorum qui omni contẽpta aduersariorum truculentia & crudelitate, in agnita semel veritate cum vitæ etiã dispendio persliterunt, non postremo loco habenda sunt. Quo etiã nos ad inuictum animi robur & fortitudinẽ animandos vtitur argumẽto Apostolus, Heb. 12. Quũ enim tanta nos (inquit) circunstet testiũ nubes, abiecto omni põdere & peccato ad nos circũcingẽdos procliui, constanter propositum nobis stadium decurramus. Quibus docet, nos, ni prorsus sumus indociles, ab his magistris ad constantiam in studio pietatis infatigabilem clara voce inuitari, omnésque intrepido mortis & malorum omnium contemptu, frangẽdos esse hostis acerrimi insultus. Verumenim uerò cùm hæc nostra ætas, varia nobis huius constantiæ protulerit exempla (cùm enim vbicunque locorum emergere cœpit cum suo Euãgelio Christus, fremeret Sa-

tan,

tan, ac cœlum terræ misceret, suos excitauit athletas Dominus, qui eius rabiẽ reprimerent) illud quod hac breui cõtinetur Historia, præ cæteris omnibus perpetua meditatione & æterna memoria dignum videtur. Quod homines rudes & agrestes iuga mõtium, & loca aspera incolentes, purioris literaturæ expertes, neque blãditijs & illecebris deliniri, neque minis & terroribus magnatũ vinci, aut omnis generis sæuitia & crudelitate frangi potuerunt. Nam extrema quæque pati maluerunt, quàm ab ingenua fidei professione deficere, vel simulatione aliqua sacrum Dei nomen hostium ludibrijs ꝓstituere. In quo videre est illud Apostoli, quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat robusta: & quæ ignobilia sunt in mũdo & ꝑ nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt aboleat. Quãtas autẽ ærũnas ac calamitatẽs perpeßi sint non facile est dicere, quoties

facta in eos irruptio, quoties insidiati illis hostes, quò pios eorum cõuentus subita vi & inopinata opprimerent, quàmulti (eorũ qui viui in hostiũ manus deuenerant) ad ignes rapti, aut ad triremes relegati. Quinimò cùm hostis & copiis & omni bellico apparatu longè praecelleret, nihil eis saepenumerò potius fuit quàm se in ferarũ lustra addere, aut per syluas in summa egestate, rerúmque omniũ inopia vagari. In media tamẽ hac hostiũ ferocia in multis dißipationibus, inter diros terrores, agrorum vastationes, aedium direptiones & incẽdia, mortis pericula, animos eorũ ita sustinuit & obfirmauit Dominus, vt à veritate nunquã desciuerint. Et quemadmodum suo sanguine & horribilibus cruciatibus sincerũ Dei cultũ cùm vi aperta impeterentur vindicarũt, ita saepe pacis oblatas conditiones quibus se astutè captari à magnatibus aliquot videbãt, vt paulatim à vera religione deficerent,

cerent, fortiter liberéque aſpernati ſunt. Rara etiam eáque admiranda hîc videre eſt liberationis exẽpla, è quibus diſcimus improborũ libidini nos nõ ita eſſe expoſitos quin Deus eorum furorem & turbulentos conatus, quando viſum fuerit, cõpeſcat. Exitus autẽ tãtarũ ærumnarum & certaminum eſt conſolationis plenus: nã quãuis aliquot annis efferbuerint tumultus, ac tã duræ ac miſeræ oppreßioni nullum finem oſtenderet rerumſtatus, turbis tamẽ illis ſedatis, regnum ſuum inter eos tandẽ ſtabilijt Dominus, inanibus nebulis cæleſti ſua virtute diſcußis, vt iam placida pace fruantur. Atque ita cum Iſraelitica eccleſia meritò canere poſſunt, Dorſum ſuum fuiſſe laceratum ab impijs, non ſecus atque ager ſubſulci tractu proſcinditur, inciſos tamẽ fuiſſe illorum funes, vt nõ præualuerint. In hac igitur Hiſtoria tanquã in ſpeculo demonſtrat Dominus, ſe ſuã eccleſiã quamuis magnis procellis

ac tẽpestatibus cõcuti ad tempus patiatur, nunquã tamen deserturum, sed sartã tectam conseruaturum. Hac eadẽ fulciendi sunt animi nostri ne deficiant, etiãsi grauiora nobis sint experiunda, & totũ Acheronta cum suis furijs ad prælium descẽdere videamus: memores, omnes crucis molestias satis supérque cõpensari inæstimabili fælicitate & gloria, quæ inde nascitur. Cùm autẽ Gallico tantùm sermone hæc extaret Historia, digna tamẽ quæ in omnib. nationibus, in omnibus omnium gentium linguis, in omnibus ecclesiis legatur: eam latinitate donare sum conatus, vt ad plures redũdet eius lectionis fructus. Tibi verò, vir Magnifice ac generose, qui ingẽs ac prõptum in conseruanda proue hendaq; pura religione studium omnibus singulari tua pietate testatum facis, cuiusque multa eaq; maxima in Remp. Bernensem extant merita, hoc quicquid est laboris ac studij mei in hoc opere vniuersum nuncupatũ volui, vt hoc saltẽ haberes

nostri erga te animi testimonium. Quod eò libentius facere sum aggressus, quòd te Historiarum cognitione summopere teneri ac delectari intellexerim, qua vna vix vlla alia est æquè viro Principi conueniẽs, ad se ac suos totamq́ Remp. gubernandam. Tuum verò in literas & literatos ardens studium egregiamq́ voluntatẽ quæ reipsa omnibus comperta est, non possum non vehementer laudare. Quid enim aut laudabilius, aut Deo gratius, aut hominum generi vtilius facere Principes viri possunt, quàm studia literarũ alere, quæ ad pietatem & Christianam religionẽ tuendã & promouẽdã tantum habet momẽti, vt sine his iacere & interire, cũ his stare atq. florere omnis bonorũ morum, omnis veræ sinceræq́ religionis ratio videatur. Et vel hinc non obscurè perspici potest, quàm cupias consultum ecclesiis, & saluti subditorum, quàm ardenti pietatis amore, quàm excitato & indefesso iuuandæ ornandæque veræ re-

ligionis studio flagres, quàm verus sis patriæ pater, quàm verus sis ecclesiæ nutricius. Quo studio nullum potest esse honorificentius, illustrius, dignius, & tuæ amplitudini congruentius. Hoc pietatis opus, hoc verè laudabile factũ. nihílque à te suscipi potest quod te magis deceat, quod maiorẽ laudẽ, ampliorá q. mereatur præconia. Opusculum igitur hoc quantulum cunque est hilari frõte accipe, illúdq. tua authoritate, tũ bonis cõmẽdatius effice, tũ à maleuoli lectoris iniuria vindica. Deo verò Opt. Max. vota facio ex animo. neq. verò vnquã facere intermittã, vt tuum in iuuanda ecclesia ac Repub. studium augeat atq. promoueat, & teipsum pijs omnibus seruet diu superstitem: Remp. verò Bernẽsem (quæ ab hinc multis annis pijs purioris religionis ergô exulãtib. tutum fuit asylum) ad multas seculorum ætates florẽtißimã augustißimámq. conseruet.

Tuæ D. studiosissimus Christophorus Richardus Biturix,
Serratensis ecclesiæ Pastor,

AD LECTOREM
Præfatio.

MORTALIVM neminem vſquam eſſe exiſtimo, cui non reipſa compertum ſit quantum conducat, quámque ſit neceſſaria vera certáque earum rerum quæ quondam acciderunt,& quæ in dies euenire ſolent,cognitio. Cui certè diſertius probando, longo verborũ ambitu minimè opus eſſe arbitror. Nam ſi vel profanæ tãtùm ſpectentur hiſtoriæ, ánnon admirabili Dei prouidentia factũ eſſe conſtabit, vt qua etiamnũ hodie ratione viſuntur litteris mandatæ ſint?Quę proculdubiò tũ Græcis tum Latinis ſcriptæ ſunt authoribus ad multorum ſacræ Scripturæ locorũ intelligẽtiam,quæ alioqui reconditiora nos adhuc laterẽt,haud mediocri fuerunt & ſunt adminiculo. Sit nobis exemplo vel vnica Danielis hiſtoria: de quatuor monarchiis quæcunque vaticinatus eſt,multo forent abſtruſiora, niſi fideles eorum quæ monumẽtis com-

mendauit hoc etiã seculo extarent historiæ. Quod autem ad sacram in vniuersum attinet historiam, thesaurus est profectò incomparabilis, & Dei donum singulare nullo vnquam pretio satis æstimandum. In summa, vix dici queat illis omnib⁹quã tum debeatur qui rerum memorabilium (quæ quolibet æuo contigerunt) posteris memoriam prodiderunt, tãtum inde fructum referunt qui earum cognitionem penitus sunt assecuti. In illa enim tãquam in nitidissimo speculo siue potius amplissimo Theatro rerum humanarum cursum, vices, fœlicium atque infœlicium euentorum, prudẽtiæ ac temeritatis caussas & impulsiones, ac præsertim Dei in suos bonitatẽ licet cernere: quibus omnibus nisi prorsus sumus stupidi, socordes, ac cæci, ad inscrutabilem Dei sapientiam qua vniuersum hoc administrat, contemplandam manu ducimur. Nihil autẽ est quo id clarius oculis subiici queat quàm ijs historijs quib. mirabilia, quę quolibet æuo ad conseruandã aduersus iuratos hostes Ecclesiam ab ipso patrata sunt, cõtinentur. In quem finẽ extãt multæ, plures autem extarẽt, si quos eximio illo res gestas describendi dono ornauit Dominus

(pręſertim noſtri ſeculi homines)huc ſua ſtudia cõtuliſſent. Si.n.ab hinc annis quadraginta, ex quo doctrinã Euangelicam rurſum excitauit Dominus hoc dono pręditi miracula diuina literarũ monumẽtis pro ſuo quiſq.modulo cõmiſiſſent, haud quaquã ita magno totius poſteritatis detrimẽto altiſſimis obliuionis tenebris horum ſepulta memoria iaceret.Neque verò hinc manauit error quòd viri deſiderarẽtur ad hoc idonei,verũ hinc origo mali ꝙ alij in alios id negotij reiecerint. Quãuis.n.ſeculum nullũ ſuis caruerit ſcriptoribus,longè tamẽ ab officio hac in parte receſſum eſt.Operæpretiũ ſiquidẽ fuit vbicunque locorum Deus tũ innoteſcebat liquidò, eius opera tantis euehi laudibus vt totus inde perſonaret orbis, quo perſpecta vbique illius gloria & maieſtas ab omnibus vno ore decãtaretur. Habetis quorſum hæc ad vos iã prodeat hiſtoria, quæ licet iuſto breuiore,pro rerũ quæ inſunt varietate cõpendio fuerit cõſcripta, mirificis attamẽ Dei referta eſt operibus. Annus eſt eòq.amplius cõpendiolum neſcio quod ex Italico ſermone in Gallicũ traductũ, quo pauca quędã eorũ deſcripta ſunt quæ Valdẽſibus valliũ Pedemõtanarũ incolis cõtigerunt,typis excuſum

fuiſſe. Verùm in eo multa ampliori digna explicatione. Leuiter tãtũ attingũtur, cũ tamen illis in vallibus virtutẽ ſuã Dominus ab hinc ſex aut ſeptẽ annis inſigniter exeruerit. hac de cauſa contexta eſt hæc hiſtoria ſtylo quidem quoad fieri potuit ſimplici ac plano, à piis religioſiſque viris collecta, quibus vel latum vnguem à veritate diſcedere religioni fuit, ſatiſque eis eſſe viſum eſt ſi res ipſæ prout geſtæ ſunt ea qua decet fide & ſimplicitate exponerentur. Et quanquam multa inſunt in ſpeciẽ abſurda, profanis creditu perdificilia, imò ridicula quoque, tamen haud ita pridẽ patrata ſunt, quin eorũ qui inter fuerunt bona pars, his ampliſſimũ teſtimonium ferre queat. Si ante annos quadraginta aut quinquaginta peracta fuiſſent, obgannirẽt fortaſſe irriſores neminẽ eſſe q de his certò diſſerere queat: ſed cũ tres vixdũ anni effluxerint ex quo hæc mirabilia geſta ſunt, tot verò ſint ſuperſtites adhuc qui locis ipſis aderãt, res ipſas propriis viderunt oculis, necnon ſingularẽ illã Dei virtutẽ perſenſerunt, quis dubitet tot miracula dici poſſe quot in poſterũ occurrẽt liberationes? Pij qui rationẽ noue-

nouerunt, qua in ſuis liberādis omni tēpore & loco vtitur Dominus, immēſam illius virtutē ſimul ac bonitatē ſummis laudibus perſequētur, fidémq. ſuā in promiſſionū illius immota veritate, tāto corroborabunt firmius, quāto ſplēdidius benignitatem illius in iuuandis miſeris, qui ipſo ſolo nitebātur, relucentē conſpexerint. Quis nō exiſtimaſſet de miſeris illis protinus actū fore: neque.n.rei militaris gnari erāt multo minus armis aſſuefacti: hoſtes cōtrà præpotentes, & viribus audaces in ſpeciem apparebāt, incedebant apparatu ſplendido, ad profliganda omnia parati. At ſuarum alarum vmbra ſuáque virtute Dominus miſeros protexit, qui nō aliò quam ad ipſum recurrere, ſolum precibus ardētibus aſſiduíſque inuocare ſolebant, omne inde auxilium & fauorē expectātes. Vnde nec decepti nec ſpe fruſtrati, Deum in extrema neceſſitate ſuorum vnicum vt antea fuit ſemper, & perpetuò futurus eſt vindicē potentiſſimum experti ſunt. Ad hoc igitur proderit hæc hiſtoria, vt fidelium cuique ad Deum purè & ex animo colēdum, deinde ne opum aut vitę cupiditate vllum defugiant peri-

culum (quoties de vero illius cultu in ſua puritate retinendo agetur) ingentes addat animos. Habebunt etiam pii omnes in quorum manus hęc deueniet hiſtoria, vnde cõſolationem petant efficaciſſimã, non ignari Deum illum omnipotentem, qui Valdenſes afflictiſſimos potenti manu ab inimicorum ſæuitia & impetu eripuit, ſui ſemper eſſe foréque ſimilem, brachium illius minimè eſſe decurtatum. Deum interea votis ardentibus irremiſſè iuuocent, huic ſuam cauſam ſedulò committant, quemcumque Domino dare viſum erit ſucceſſum, præſtolantes. neque enim opus ſuum tam fœliciter cœptum ita neglecturus eſt, vt non illud ad poſtremum actum perducat. Quod dubio procul importunis ab eo precibus efflagitare neminem nõ decet fidelium, quò tandem nomẽ illius glorificetur, afflictáque ſubleuetur Eccleſia. 13 Iunii 1562.

HISTORIA MEMORABILIS PERSECVTIONVM BELLORVMQVE IN populũ vulgò Valdensem appellatum, Angrunicam, Luserneam, Sanmartineam, Perusinam, aliásque regionis Pedemontanæ valles incolentem ab anno 1555, ad 1561, religionis ergô gestorum.

ETSI omnibus seculis vbique locorum inualuit hominum ingratitudo & peruersitas, iustóque iudicio Deus paßim errorum tenebras offudit, atque adeò regnauit vbiuis gentium etiam inde ab origine mundi (vt videre cuilibet promptum est) profanus maiestatis diuinæ contemptus : nunquam tamen tanta extitit illius erga genus humanum seueritas, quin sua illa (qua parentes omnes longè superat) bonitate, philanthropia singularíque misericordia paucos aliquot perpetuò seruarit qui ipsum religiosè colerent, & pro sua voluntate nobis in sacris Scripturis patefacta, puritate mentis ei inseruierint. Quod sanè luce

meridiana clarius apparebit, si diligenter aduertas quibuslibet temporibus repertos fuisse qui sese puro illius cultui toto pectore deuouerint. Mirum verò maximè perennique dignum memoria, in Cimmeriys istis (vt aiunt) tenebris nullo tamen æuo defuisse eorum reliquias qui sinceram colerêt religionem, ac ne latum quidem vnguē à verbi Dei, cuius cognitione imbuti fuerant, tramite aberrarint. Præ cæteris qui Valdenses nominati sunt, tanta fidei constantia in doctrina salutis perstiterunt, vt quanuis in ipsos aduersarij sæuirent, & rebus planè desperatis fuga saluti suæ consulere cogerentur, haud tamen ita funditus euerti deserique potuerunt, vt, non sine miraculo quodam, ex hoc veluti naufragio nonnulli emerserint, qui hac illac in diuersas terræ plagas disiecti, pars in Prouinciam, in Sarmatiam, alij Liuoniā cæterósque Septentrionis tractus, nonnulli in Belgium, reliqui demum in Calabriam Puteolos, ad ipsos denique Pedemōtanos deuenerint, sedésque ijs in locis habuerint in hunc vsque diem continuas. Cúmque ita in varias orbis partes secessissent, à superstitionibus ac illicitis idolorum cultibus, quantum in ipsis situm erat abhorrentes, verbo Dei mordicus adhærescebant, ad quod ceu Lydium lapidem doctrinam omnem, Dei cultum, mores ac vitā conformabant.

bant. Complures etiam tum veteris tum noui Testamenti libros in vernaculam cuiusque linguam traductos, pastores item habuerunt, à quibus secretò quidem & abditè (declinandæ inimicorum sæuitiæ gratia) non tamen ea qua decet pietate instituti fuerunt. Exundante siquidem vbique terrarum diluuij instar inscitia, quum Deus verbi sui contemptum iudicaturus miserum mortaliũ genus labi, errare, ac decipi sineret, minimè mirum si miselli homines doctrinam neutiquam habuerunt ea qua deinceps puritate: maiore verò nũcquàm aliâs vnquam diuina potiuntur clementia. Cæterùm improbo labore victũ queritantes parcè ac duriter sese sustentarunt, omnibus placidi, molesti nemini. Omnino inter illos nullum maledictum, nullæ blasphemiæ audiebantur, non iuramentis aut alijs id genus obscœnitatibus Dei nomen dedecore afficiebatur. Exulabant obscœni lusus, cantiones lasciuæ, impudicæ saltationes. quid plura? Ineptijs omnibus valere iussis, vitam omnem ad verbi Dei normam dirigere satagebant. Quocunque terrarum delati pedem fixissent, primam perpetuò curam diuino cultui retinendo impendebant: vt cum primùm Deo visum fuit hac nostra ætate Euangelij lucernam accendere, nullis nec impensis nec laboribus pepercerint, vt puram verámque

verbi ministerij & Sacramentorum rationem inter se haberent optimè constitutam. Verùm ab hinc annis plus minus viginti audita, imò reipsa visa est immanis illa feritas qua indignè vexati sunt in Prouincia Cabriani & Merindolenses (hac de re ædita historia testis est locuples) necnon Pragellenses Calabri & Pedemontani. Sed quia in præsentia minimè opus est omnium vitam, mores ac ingenium latiùs persequi, neque nostri etiam instituti est, abundè mihi erit si de ijs solùm verba fecero, qui etiamnum hodie in agro sunt Pedemontano cōstituti: multísque prætermißis memoratu dignis quæ olim iam inter eos gesta fuere, ea solùm chartis mandauero quæ ante annos aliquot contigerunt, & quibus multi superstites adhuc amplißimum possunt ferre testimonium. Atque vt id quidem fiat commodius, dabitur opera vt ipsa rerum veritas quàm simplicißimè ob oculos ponatur, quod per se expeditum est nequaquam longis ambagibus sinuosum reddetur, nequid addatur detrahatúrve adhibebitur cautio: vt quisque tanquam in speculo aut tabula depicta singularem Dei prouidentiam facilius peruidere queat, qui adeò mirabili sapientia gubernat conseruátque suos, vt nequeat illud humani intellectus acumine comprehendi. Quo etiam fideles omnes, cùm Dominum

viderint

viderint suos tanta sedulitate tueri ac fouere in eius clientela confidentius acquiescant, & se suáque omnia illius fidei intrepidè committãt, illique pro tot collatis & publicè & priuatim in Ecclesiam beneficijs immortales agant gratias. Et quò planius elucescant quæ dicentur in posterum, mihi non videtur à re præsenti alienum, si paucis attigero populum hunc initio statim etsi montes Pedemontanorum supremos, aspera horridáque loca desertásque solitudines incoluerit, paulatim tamen in tantum numerum excreuisse, vt bona pars aliò commigrare coacta fuerit. Qui illic persederunt, ingenti agmine tam in valle Lusernensi & Angrunica (quæ vnica est in duas distincta) quàm Sanmartinea & Perusina habitabãt. Postremò diutiùs licet afflictionibus ab ijs qui Papisticã sectabãtur religionẽ impetiti fuerint, præsertim verò toto septẽnio tot tantísque calamitatibus oppressi fuerint, vt res vix fidẽ habitura sit, illos nihilominus (vt infrà patebit) miraculosè liberauit Dominus. Etsi autẽ antea populo Angrunico verbum Dei à nonnullis prædicatum, & ministrata purè Sacramẽta fuerint, anno tamen supra millesimũ quingentesimo quinquagesimo quinto, Augusto ineunte, palàm cœpit apud Angrunios sincera Euãgelij prædicatio. Cõstitutum quidem cum populo ministris erat

initio quàm fieri posset occultissimè in hoc negotio progredi, verùm tantus vndique accurrẽtium numerus obtinuit vt propalam in omnium oculis cõciones habebãtur. Quæ res Templum in Angruniæ meditullio cõstituẽdi occasionem præbuit, vbi tum cœtus tum sacræ conciones habebantur. Accidit interea vt Briqueranus (qui locus gemino miliari ab Angrunia dirimitur) quidam Iohannes Martinus Trombantius nomine qui vsquequáque se Angrunico pastori nares absciſſurum iactabat, non multò post a Lupo furibundo compreſsus fuerit, qui illi nasum dentibus auulsum deglutiuit, vnde subitò periit. Ex illo non est auditum cuiquam lupum illum aliquid damni intulisse. huius rei fama per totam viciniam diuulgata est. Interim aduertendum vallicolas istos tũ Henrici secundi Galliarum regis imperio paruisse, iusque à suprema Taurinorum curia petiisse. Appetente igitur fine Decembris proximi à Taurino allatum est nuntium, statutum esse vt mitterentur copiæ aliquot tum equestres tum pedestres quæ Angruniam contererent ac funditus euerterent. Super hæc qui se intimos populi prædicabant amicos cæpto desistendum temporique aliquantisper inseruiendum suadebant, dum sese melior offerret commoditas. At populus contrà propositi tenax, inuocato

uocato Dei nomine vnanimi consensu persistendum forti animo decernit, donec meliora Dominus, cuius voluntatem sibi in spe ac silentio expectandam proponunt. Quicquid id est, statim tamen saeuus iste in Angrunios conatus in nihilum abiit: imò eo ipso tempore palā apud Lusernenses cōcionari cœptum. Martio ineunte anno à Christo in crucem acto millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto vallis Sammartineæ incolis palàm etiam prædicatū est Euangelium. Tunc temporis nobiles aliquot eius vallis incolæ, Bibliopolam Bartholomæum nominē virum pium, in transcursu cùm vallem esset subiturus, arreptum è vestigio dederunt in custodiam, mox iudici traditum, ille Taurinum perducēdum curarunt. Vbi ædita integra fidei confessione non in carcere modò, verùm ad extremum etiam halitum vsque animam constantissimè exhalauit. adeò vt ex ordine Senatorio nonnulli ingenuè dixerint se hominis cōstantia mirifice commotos, atque penè labefactatos fuisse. Ea nihilominus occasione irritatus Senatus quendam è præsidibus nominē Saniulianū, adiuncto ei assessore cognomēto De Ecclesia cū aliis quibusdam delegit, qui sedulo inquisitionem agerent, ac modis omnibus pertentarent si qua demum ratione ab incœpto vallicolæ ij reuocari possent. Præses vnà cū comitibus illi à

summa curia designatis aggreditur primùm Perusinos, quibus nulliusdum erat pastor, Angruniam verò audiendarum concionum causa frequenter conueniebant. Territi impendiò Perusini ad horum aduẽtum fuerunt. Illi verò inde Sanmartineã vallẽ petierunt, vbi populo inquisitionibus & minis terrorem non mediocrem incusserũt, ibiq; ad ferias Paschæ cõmorati sunt, modis omnibus illi ruinam excidiúmq; molientes. Quum Penorolum accessisset præses, quendam Sanioanninum (qui locus Angruniæ vicinus est) accersi iubet, qui tum illic agebat, quem percontatus est: annon, & quare puerum Angruniæ baptisandum curasset: cui ille, Baptismus (inquit) purè illic ad Christi institutionem administratur. hæc præses iniquo ferens animo, eum illicò, ni viuus cremari velit, rebabtisari præcepit. Tum miser fieri sibi orandi copiam ante responsionem postulauit. Qua re palàm in cœnaculo confecta, rogat eum vt scripto propria manu obsignato sponderet se tale crimen ab ipso in se & suos transferre: tum se planißimè responsurum. his auditis præses adeò consternatus hæsit, vt aliquandiu substiterit mutus. Deinde, facesse hinc, ait, in malam rem turpißime impostor. ex eò neutiquam illum reuocauit. Die Martis à Paschate proximo anno eodem Lusernam cum suo comitatu profectus est.

eſt.Iouis ſequente Angruniam prima luce venit, magna illum tum agri illius nobilium tum ſacrificulorum (quibus adiuncti erant duo Franciſcani) comitante caterua. Luſtrato oculis templo vtroque , aſtante populo,alterum è Monachis habere concionem iußit, cui ſcopus hic propoſitus erat, vt plebem ad ſubeundum rurſus Eccleſiæ Romanæ iugum hortaretur. Monachus & præſes cum tota cohorte bis quidem inuocandæ Mariæ virginis cauſa genua ſubmittunt,ſtantibus interim nullo ædito adorationis ſigno cum toto grege paſtoribus.Finita monachi oratione, inſtabat populus miniſtris viciſsim concionandi copiam fieri. Monachum itẽ multa effutiuiſſe contendebant, quæ à verbo Dei tota via aberrarent, quod tamen à præſide nullo modo extorqueri potuit, vnde parum abfuit quin oboriretur ingens tumultus. Multis poſtea præſes Regis & Briſaci militum tribuni(cui tum ſummum à Rege imperium apud Pedemontanos erat) ac Taurini Senatus nomine cum illis egit, quorum ſumma erat, vt ſeſe denuò Papæ dederent in obſequium, niſi ea velint pœna damnari,qua ipſorum cum bona , tum corpora publicentur. Proponebant itidem miſerabilem illam cladem quam aliâs eorum fratres & cognati in Prouincia perpeßi fuerant. Quibus vno verbo

responsum à Ministris & populo datum est, se nũquam à verbo Dei vel latum vnguem discessuros, Regi ac eius præfectis quibuslibet per omnia obedituros, modò nequa in re diuina lædatur maiestas. Si denique puro Dei verbo doceãtur quam profitebantur religionem falsam esse, se recãtaturos palinodiam, & puriorẽ doctrinã amplexuros. Pertracta est ista cõcertatio ad sextam ferè vespertinam. Tandem cẽsuit Præses de his Taurini, Peneroli, aut Lusernæ disceptãdum, quod id Angruniæ fieri nollet. Ministris cum populo conueniebat Lusernæ disputationem eam haberi. Ille autem hac de re postea verbum nullum. Postero die eadem Lusernensibus proposuit: à quibus iisdem illi verbis responsum est. Commoratus ibi dies quatuordecim nouas quotidie actiones, nouáque edebat præconia, Syndicatus & parœcias modò simul, modò sigillatim conuocabat, vt eis terrorem, si posset, incuteret. Admonebat eos iam nunc (vt loquebatur) primùm, subsequenti die secundùm, tertiùm denique ac postremùm omni spe veniæ in posterum adipiscendæ illis penitus adempta. Cum conatus suos omnes cerneret irritos, iussit in singulis parœciis patresfamiliâs in concilium vocari, hac arte confisus se inter diuisum populum discordiam ac seditionem concitaturum, quum id in assessorum ipsius

psius fieret præsentia. Omnem æquè lapidem mouerunt loci illius nobiles, vt populũ in præsidis sententiam pertraherent. Syndicatus autem cum parœcijs breuem fidei confeßionem addito ad præsidis & suorum interrogata responso obtulerunt. In summa confirmabãt suam maiorúmque suorum religionem, in qua ab illis educati atque instituti fuerant, eam esse quæ ab ipso Deo tum veteri tum nouo Testamento reuelata sit, ac Apostolorum Symbolo (duodecim fidei Christianæque religionis articulis) summatim comprehẽsa. Sacramenta item à Christo instituta admittebant, quibus abunde gratias donáque sua ac beneficia, opes itidem ac thesauros cælestes illis omnibus explicat ac distribuit, qui ad ea vera viuáque fide accedunt. Se insuper tenere catholicorum conciliorum quatuor symbola, Nicenum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, in quibus fidei ac religionis mysterium clarè abundéque traditur. Ad hæc decem Dei præcepta retinere, prout diuinis literis, vtpote Exodi vigesimo & Deuteron. quinto tradita visuntur: quibus bene sanctéque viuendi regula; verúsque ac sincerus Dei cultus summatim comprehẽditur. Huic igitur articulo innixos, omnẽ se à suis locis & cœtibus iniquitatem depellere testabantur, illicita nempe iura-

menta, periuria, blaſphemias, diras imprecationes, contumelias, lites, ſeditiones, crapulas, ebrietates, ſcortationes, auguria, ſortilegia, incantationes, furta, vſuras, impoſturas & id genus alia: ſe è diuerſo huc neruos omnes intendere, vt in timore Dei ſanctè vitam agentes, illius morem gerant voluntati, ſuóque quatenus fidem ſuam diuinæ illius aſtrinxerunt maieſtati, in omnibus officio reſpondeant. Credere, inquam, ſupereminentes poteſtates à Deo ordinatas eſſe, proinde quiſquis poteſtatem aſpernetur, cum Deo bellum ſuſcipere. Se itaque colla ſuperioribus omni, qua decet obedientia & humilitate, tanquam ſibi pro Dominis in terra à Deo conſtitutis in omnibus & per omnia ſubmiſſuros, cum eo tamen nequid cōtra Dei ſupremi omnium principis gloriam ac honorem præcipiāt, nolle ſe vllo modo pro refractarijs & contumacibus haberi, qui vel tantillum vniuerſæ quæ in ſacris ſcripturis habetur doctrinæ aduerſentur. Sin autem vel maiores olim iam ipſorum, vel ipſimet vlla in re allucinati ſint, ſiue quid eorum quæ ad veram perfectámque ſpectent religionem eis deſit, modò illud ſincero Dei verbo doceantur, malum è veſtigio reiecturos, ei quod bonum eſt adhæſuros, immortales illis qui tanto eos affecerint beneficio, gratias acturos. En vobis

Val-

Valdensium confeßionem breui admodum compendio conscriptam. Quod ad ea attinet quæ ad præsidis & aliorum interrogata responsa fuêre, quòd hi causarentur vallicolarum responsiones nequaquam obsignatas, neque debita à paræcijs & communitatibus forma exhibitas, atque cùm qui obtulerat non tanta atque expediebat fide ac authoritate fultum, atque ita eiusmodi responsiones nihil ad rem facere, neque cum Edictis circa Sacramenta & constitutiones ecclesiasticas æditis (hoc est de recipienda Missa, auriculari confeßione, Sacramētorum communicatione, Babtismo, coniugio, & sepultura eo ritu quo ab Ecclesia Romana sancitum & decretum est) conuenire. Missus est à vallicolis è Syndicis quidam æqua & iusta plebis authoritate munitus qui responsa huiusmodi subsignaret, recognosceret, approbaret ac præsentaret, necnon in rectam formam reducendas curaret: missa etiamnum quam Legati postulabant fusiori in singula capita atque articulos interpretatione. Atque de Missa cumprimis profiteri se ac retinere mordicus Sacrosanctam Iesu Christi cœnam, iuxta ac ab illo instituta, & per Apostolos celebrata fuit: Missam verò à Sacrificulis decantari solitam si verbo Dei niti constaret,

lubēti eam animo recepturos. Deinceps quod ad confeßionem auricularem attinet, se Deo singulis diebus peccata sua confiteri, se in eius oculis miseros peccatores agnoscere delictorúmq; veniā flagitare, sicuti suos omnes Christus (in ea quam adidit oratione) dicere edocet, Pater noster remitte nobis debita nostra, prout itidē refert Ioannes, Si confiteamur peccata nostra, iustus & fidelis est Deus qui nobis illa remittat, & emundet nos ab omni iniquitate, tum etiā quia per Ieremiā prophetam, Deus Israel (inquit) si reuertaris, reuertere ad me. Sui igitur esse muneris ad Deum solū cōuerti, quandoquidē si quod solius Dei est, homini morti obnoxio tribuatur, horrendum nimis est sacrilegium. Adde quòd ex Psalmis Dauidicis facilè patet Prophetas ac veteres quotquòt extiterunt Dei cultores, confeßiones suas omnes tam publicas quàm priuatas soli Deo adidisse. Deum insuper illum esse qui dicat, Israel, ego sum, ego sum, qui deleo transgreßiones tuas, & non est præter me alius. Si nullus ergo præter Deum, peccata condonare potest, hinc certè peccata illi soli confitenda, ac veniam ab eo solo petendam rectè colligitur. Quòd si tanta eruditione ornati essent sacerdotes, vt ab eis per sacras Scripturas auricularem confeßionem à Deo authore profectam, ac ab ipsius verbo

minimè

minimè alienam esse probari possit, illam qua decet animi submissione ac reuerentia amplexuros. De baptismo autem, recipere se eius sanctam filij Dei institutionem, eáque qua ab eo traditus est simplicitate administrare: nequid è suo cerebro immisceant, alterent, neve quippiam addant aut subtrahant sedulò cauentes. Omnia porrò inter eos agi lingua vernacula & omnibus familiari iuxta Pauli sententiam, qui præcepit vt in Ecclesia sermone vernaculo ad proximi ædificationem vtamur. Quòd si quis rationibus è Sacra Scriptura desumptis coniurationes, salem, oleum, sputum, & alia id genus inquinamēta planum fecerit non esse cum verbo Dei ex diametro pugnantia, se protinus assensuros. Quinetiam fateri quoad sepulturam plurimum discriminis interesse inter renatorum & reproborum corpora, quod priora illa Iesu Christi membra sint ac templa Dei, necnon & gloriosæ mortuorum resurrectionis consortia, proinde se illa piè honestè ac cœtu honorifico humare, adhibitis è verbo Dei exhortationibus, tam propinquos & familiares consolandi quàm admonendi cunctos gratia, vt se ad mortem, mortem inquam iustorum impauidi sedulò præparent. Candelas autem ac luminaria, preces pro mortuis, campanarum pulsationes, reliquásque eiusmodi cæremonias,

conciliis

si quo pacto ex Dei verbo demonstrari possit esse necessarias, ac Deo non ingratas, ambabus vlnis se illas amplexuros. Quoad obedientiam quam humanis affingunt traditionibus, eas se constitutiones libenter admittere, quæ (vt Paulus inquit) ordini, honestati ac reuerentiæ, & ministerio diuinitùs ordinato inseruiunt. Quæ autem diuinis mandatis repugnant, ab hominibus ex electione propria, ex intentione stulta, aut alia ex causa inductæ sunt, ac contra aut citra diuinam scripturam aliquid fieri præcipiunt, cuiusmodi sunt quæ pro Dei cultu habẽtur, quibus remissionem peccatorum affingunt, & conscientijs laqueos inijciunt, eas se nullo modo admittere posse. Quod autem obijciebant legati eiusmodi traditiones è sacris concilijs profectas, respondere se, primùm bonam illarum partem nunquam à concilijs sancitam, deinde Spiritum sanctum præcipere vt si Apostoli aut Angeli ipsi è cælo aliud Euangelium quàm quod semel à Christo acceperunt, prædicauerint, Anathema sint. Cæterùm nec posse nec velle credere Apostolis & Dei Angelis anteponenda esse hominum decreta, proinde quæ ab illis contra & citra verbum Dei constituta sunt minimè recipienda. Postremò non inficiari quædam à concilijs sanctè & laudabiliter circa Episcoporum & pastorum ecclesiasticorum

sticorum electiones, & tam cleri quàm populi disciplinam ecclesiasticam ac bonorum ecclesiæ dispẽsationem constituta. A Synodis item sancitum esse vt impudici pastores, vinolẽti, aut qui alioqui scandalo essent, officio mouerentur, tum etiam qui scortatoris Sacrifici Missæ interfuerint, excommunicarentur, & alia id genus pleraque, quæ nullo pacto obseruantur. Id vnum vrgeri, vt Conciliorum decreta seruentur quatenus ad cleri temporalem quæstum faciunt, ijs interim quæ maioris nomẽti sunt neglectis. Plerisque item in Concilijs superstitiosa quædam ac diuinis pugnãtia præceptis statuta fuisse, séque ad illud comprobandum, cùm opus foret, esse paratissimos. Se igitur submissè ac suppliciter à legatis flagitare, vt quam instituere cogitabant disputationem, breui ac præsentibus ipsis haberetur, spondentes se vltro ac sponte, si verbi Dei authoritate planum fieret, vel se vel maiores suos alicubi in doctrina aut moribus lapsos, culpam emendaturos. Præterea secum in animo reputarent quam profitebantur religionem, à superioribus suis per multas annorum cẽturias ad sua vsque tempora conseruatam, ad ipsos tandem deuenisse. nolle item animo obstinatiori contendere (si falsi ex Dei verbo

arguantur,) religionem suam cum ea quam vera priscáque profitebatur ecclesia vnam & eandem esse. Se itidem cum iis qui illic aderant Dominis, vnum Deum vnum Seruatorem, vnum Spiritum, vnam fidem, vnam legem, vnum babtisma, spem denique eandem in cælis repositam. Quid multa? fidem religionémque suam firmissimo immotóque verbi diuini fundamento niti, cuius obseruatores (vt ait apud Lucam Christus) næ beatissimi erunt. Quòd si Turcis, Sarracenis ac Iudæis (qui Christi sunt hostes acerrimi & capitales) Christianis liberè conuiuere simúlque cum ipsis promiscuè ac communiter versari etiam in vrbibus omnium celeberrimis liberum sit, quid causæ fuerit, quominus ipsis montes istos infæcundos colere liceat? ipsis, inquam, penes quos Euangelium Christíque cultus & adoratio floret? Suppliciter ergo flagitare fidémque illorum Christi nomine obtestari, vt suæ sortis miserti, sinant eos in suis desertis vitā agere, seriò affirmantes sibi cum liberis firmum ac ratum esse in omni Dei timore ac reuerētia viuere: Domini ac Principis sui, præfectorum quoque ac legatorum illius omnium cū omni obsequio & submissione imperia per totam

tam vitam perpessuros. En vobis Christianæ Valdēsium cōfeßionis summa. Præses interim & illius assessores, vt viderunt se hac via nihil promouere, delatis secum actis ac scriptis forēsibus, Taurinum repetunt. Quæ omnia cū relata ad Senatum Taurinensem fuissent, in Galliam in aulam regiam mittuntur, vbi totum annū priusquam responsa darētur, quasi suppressa manserunt. Ea temporis intercapedine Valdensiū Ecclesiæ summa pace fruebātur: ita Deo suos tot procellis ac tempestatibus agitatos subleuare, eisque laxamēti aliquantum ac quietis concedere visum est. Tantū incremēti per id tempus illæ acceperunt, vt singulis vallibus sui essent Ministri, qui omni qua decet puritate verbū Dei prædicabāt, Sacramētáque administrabant. Tum Sacerdotes & Monachi, qui præsidis & comitum eius aduentu Euāgelij cursum impedire conati erāt, expectatione sua mirè frustrati sunt, prout hostium suorum conatus probè eludere nouit Dominus. Missa namque tunc temporis Angruniæ, & alijs plerisq; in locis sepulta iacuit. Anno ita exacto, præses ille Saniulianus cū cohorte sua reuertitur, q cùm Peneroli esset, Angrunijs significauit & Lusernēsibus vt ad se Syndicos, sex nimirū ex Angrunijs, ex singulis alijs

parœcijs binos ablegarent, qui ea quæ iussu regis dicenda haberet, intelligerent. Eò vt venissent Syndici, paucis admonuit non latere ipsos se eis anno præterito nonnulla authoritate regia iniunxisse: quibus tantum abest vt paruerint, vt è contrario scripta sua ei obtulerint, de quibus ad Senatum Taurinensem retulerit, cuius ipse decreto cum assessore ab Ecclesia in Galliam amandatus fuerat: vbi scripta eadem sanctiori strictiorique apud Sangermanum Laiensem concilio Regio exhibita, à iuris peritissimis probè visa, intentéque perpensa, ac tandem hæreseos damnata fuerint. Proinde regem denuò præcipere, vt sese Romanæ sedis obsequio submittant, ni omnes ad vnum cum suis facultatibus fisco addici velint. His auditis, hominem submisse rogant Syndici, vt suæ legationis apographũ, ac literis mandatum edictionis suæ testimonium ipsis suppeditaret, atque ita fore Dei opt. Max. ope, vt his diligenter cum populo agitatis, eiusmodi responsa daturi sint, vnde sibi abundè satisfactũ dicat. Magno furore percitus præses reiecit illos, siquando è proscriptis illis ac extorribus ministris huc quispiam irrepserit, eum facto silentio libẽtissimè audiri, & quicquid effutiat, ei tãquam cœlesti oraculo fidem adhiberi:

adhiberi:ipsi verò qui & præses & regis auspicio legatus, tantum abest vt vel tantillum habeant fidei, vt potius ab eo legationis suæ exemplar deposcerent, quod tamen minimè essent assequuturi. multáque eiusmodi minacia & ampullis turgidiora verba crepabat, quibus illos terreret. Nihilominus tamen, omnia tandem ædidit, hoc cum mandato, vt sibi intra triduum satisfieret. Quibus ita trãsactis, Lusernam postridie cõcessit. Die dominico iussit denuò patresfamiliâs in concilium astantibus suis conuocari, postquam illos multis clamoribus, variisq; comminationibus esset prosequutus, siquo modo tandem illis terrorem incutere posset. Vnanimi verò consensu idipsum quod priori iam oblata confessione, responsum est. Multis etiam productis in medium rationibus docebant, se nihil minus posse aut debere quàm ab ea quã profitebãtur religione vel minimum declinare. Et nequis illos suspicaretur velle alicui errori aut falsæ opinioni mordicus ac pertinaciter inhærere, submissè rogarunt, vt sua ipsorum confessio scriptáque doctissimo cuíque simul ac pijssimo, imò vniuersis orbis Christiani Academijs legenda ac diiudicãda proferrentur, ea lege, vt si verbo Dei falsi cuiusquam dogmatis

coargui poßint, sint statim ac liberè de sententia decessuri. Quòd si validis sacræ Scripturæ testimonijs probari nequeat, tum maiores tum ipsos quoquomodo errasse, æquum non esse vt quicquam de sua religione detrahant aut immutent, ac proinde se Christi nomine precari, si stare à veritate omníque errore carere comperiantur, ipsis tandem liberum sit pace ac quiete potiri, neque in posterum tot ac tantis ærumnis & calamitatibus obruantur. Die Dominico vesperi hoc illi ab omnibus simul paræcijs responsum datum est. Eo autem minimè contentus, postero manè sex Angruniorũ primarios, quorum nomina ædebat, ex alijs quibusq; locis duos trésue accersi denuò iußit, quos minis atrocibus territabat, astantibus eius loci nobilibus qui etiam pro virili disputationibus & minis moliebantur infælices vallicolas omnino prosternere. Indignatus præses quòd scriptis suis planè inhærerẽt Syndici, nec vllis possent rationibus flecti, & ab instituto cursu reuocari, præ stomacho duodecim ex ijs qui primario loco apud Angrunios erant, & alijs è locis aliòs quosdam citauit, qui ad diem & horam in Senatu Taurinensi præsto essent, adiecto item sub grauibus pœnis

pœnis mandato, vt intra duodecim dies Ministros suos ac Ludimagistros, Senatui Taurinensi in manus darent: hac via ratus se voti compotem fore, si è finibus illis semel exterminarentur eiusmodi homines. Respondent Syndici, se tali edicto nec velle nec debere morigerari, qua de causa Taurinum responsionem suam miserunt, quo ne ad constitutam quidem diem venerunt. Aliquanto pòst tempore missus est à curia apparitor, qui præconia multa singulis in parœcijs promulgauit, ne quis scilicet vallicolarum ministros & ecclesiastas Geneua aut aliunde profectos, ne ipsos quidem conterraneos in patriam domos mansionésque suas exciperent, demptis ijs quibus vel ab Archiepiscopo Taurinensi, aut illius vicario, vel aliò quopiam diœcesis præsule ac oræ illius viro primario, demandatum esset hoc negotium, aut qui alioquin curiæ Parlamenti iudicio approbati essent, idque sub capitis bonorúmque publicationis pœna: sed contrà sacerdoti cuilibet peccata confiterētur, Deum suum (sic loquuntur) reciperent, celebrarent coniugia, mortuos humarent, missam adirent, omnes denique Sanctæ matris ecclesiæ constitutiones & mandata seruarent,

ea prorſus reuerētia, qua antè prædicatorum iſtiuſmodi aduentum ſolebant. Præterea ſi eodem terrarum ex iſtis concionatoribus quiſpiam accederet, vt Syndici communitates & incolæ omnes illis capiendis, reuelandis ac indicandis ſub eadem pœna operam impenderent. Eorum qui illos detulerint nomina occulta fore, bonorúmque in publicum addictorum pro parte tertia participes futuros. Et quod maius eſt, ſi ex eorum numero fuerint qui concionatoribus iſtis vel fauerint, vel eos celarint, vel etiam hoſpitio exceperint, imò & hæreſium quæ matri eccleſiæ repugnant, conſcij fuerint reperti, omnia hæc illis condonatum iri, modò ſe illius obſequijs rurſum ſub mittant. his item, & quotquot eiuſdem ſubijci vellent obedientiæ, liberum eſſe tutò per totam regionem proficiſci, edere nomina, palinodiam canere vel apud legatos huic negotio præfectos, aut etiam fidei inquiſitores. Eo ipſo tempore Germaniæ quidam principes & ex Heluetijs nonnulli legatos in Galliam miſerunt, qui Regis erga afflictiſsimas vallium Pedemontanarum Eccleſias miſericordiam implorarent. quid illi obtinuerint, certò non eſt exploratum. Ex illo attamen per totum ferè triennium populus magna in pace fuit,

ce fuit, neque ut antea à regijs præfectis opprimebatur. Verùm Penoralensis cœnobij monachi simul cum Sammartineæ vallis nobilibus, illis quantum poterant, negotij facessebant. Circa id temporis Angrunicorum Ministrorum quispiam Godofredus Varilleus nomine, Pedemontanus, vir pius, & eximijs Dei donis ornatus, ad visendas quasdam Pedemontanorum (soli nimirum natalis) ecclesias, aduocatus fuit, qui illo se contulit. In ipso autem reditu Bergis captus est, indéque Taurinum perductus, vbi sincera fidei confessione ædita, igne viuus crematus est. Cuius morte quam constantissimè passus est, multi in fide confirmati sunt, aduersarij autem vehementer consternati. Paucos post dies Ministrorũ Lusernensium alter, cùm Geneua eodem loci Susis in carcerem est coniectus, mox deinde Taurinum perductus, quo loco tam Senatoribus quàm Episcopi ministris magna animi constantia respondit. Tandem ea pœna damnatus est vt flammis adureretur. Verùm designato supplicij die, carnifex morbũ simulãs, in fugam se coniecit: nacta alterum curia (qui sontes quosdam iam puniuerat) veritus ne & ipse ministrum exurere cogeretur, fugam quoque inijt. Pro comperto habebatur Germa-

norum, qui illic præsidia agitabant, tortorem recusasse pariter illi manus admouere. Minister demum diutius iam in vinculis detētus, oblatam sibi carceris apertionem conspiciens euasit, séque in suam ecclesiam officio functurus recepit.

Toto hoc quadriēnio & eo amplius, ita vt attigimus elapso, anno insequēte millesimo quingētesimo quinquagesimo nono pace inter Galliarum & Hispaniarum reges conciliata, Pedemontana regio (præter oppida reseruata) Duci Sabaudiæ iterum cessit, sub cuius ditione annū fermè integrum profunda pace Valdenses cæterique omnes Pedemontani absque vlla molestia vsi sunt. Quod autē mutato principe otio ac pace frui liceret, inter dona Dei eximia annumerandum certè videtur. Nolebat procul dubio in illos sæuire Princeps, sed potius clementer eos in officio continere. nullos sibi illis quantumuis alienæ religionis fideliores & ad obsequium paratiores subditos esse certò persuasus. Verū sicuti Satan pacis quetísque inimicus nunquā non iurgia ac dissentiones inter mortales con citare solet, quosdam suscitauit qui calumnijs ac malis artibus animū Principis in suos subditos exasperarunt. Quamuis igitur

piorum

piorum principum more, clemẽtia & humanitate erga illos vti decreuisset: eum tamen Romanus Pontifex cum suis cardinalibus præter animi voluntatem in miseros sæuire coegerunt. Legatus aulæ Pontificiæ assectator, & alij complures, qui Romanæ fauent ecclesiæ, vires & consilia omnia eò conuertebant, vt ei persuaderent, Valdenses istos ad vnum omnes qui à Papæ religione abhorrebant, exterminandos esse, neque committendum vt homines eiusmodi suæ ditionis terras magno sedis Apostolicæ præiudicio & dedecore incolerent, cùm essent in sacras sanctæ matris ecclesiæ constitutiones ac decreta contumaces. Denique populum hunc à Sancto Patre vsque adeo auersum nullo pácto tollerandum esse, si se fidelem dictóque audientem filium præstare decreuerit. Ansam dederunt incendiarij isti ac seditionum faces horrendæ illi ac stupẽdæ persequutioni, qua pij tamdiu tam in vallibus, quã alibi apud Pedemontanos habitãtes, adeò miserè oppressi fuerũt. Cùm autẽ impẽdentia mala sibiq; tollerãdas calamitates præuiderẽt Pedemontanæ ecclesiæ, vno animo omnes (vt morbo huic grauissimo si fieri posset occurrerent) documẽta quædam scriptis mandata,

Taurinum miſerũt, quæ Duci ac Duciſſæ præſentarentur. Docebant ſummatim cauſam ob quam tãto eſſent multis odio, & in ipſos tam infenſo atque inimico animo Dux eſſet, hanc eſſe, nempe quòd religionem per manus ſibi à maioribus traditam, à quibus tot annorũ centurijs fuerit obſeruata, piè, ſanctéque colerent. Eam autem non eſſe inanem opinionem temere animis conceptam, ſed penitus Dei verbo quod veteri ac nouo Teſtamẽto continetur, & in quo ſola veráque bene beatéque viuendi norma Chriſtianis omnibus propoſita habetur, inniti. Quòd ſi eodem verbo erroris alicuius reuincerẽtur, non dicere cauſam quin è veſtigio palinodiam recantent, libẽtique animo admittant quicquid auguſto Dei verbo docebitur. An verò hæc oblata ſint, incertum eſt, eo quòd in ore erat omnium Ducem iniquo animo ferre, ſiquis eo præſente in huius religionis mẽtionem incideret. Ecquid ſit ſub Martij mẽſis initium in fideles qui Carigniaci erant, mota eſt perſequùtio. Vbi derepẽte pij aliquot (vtpote quidã Mathurinus nomine, & eius vxor, Ioannes item Carquignanus, qui in valle Luſernenſi degebat, quique dum Penerolum ad mercatum ibat, interceptus fuerat) intra triduum aut quatriduum

duum combusti sunt. Inter quos mulier ex hac vita constantissimè migrauit. Multoties iam religionis ergô pius ille vir Ioannes Carquignianus captus fuerat, & in vincula cõiectus, vnde semper singulari Dei gratia euaserat. Cùm autem se postremùm in manus hostium recidisse cerneret, continuò scire ait se tum à Deo vocari. In itinere, in vinculis, ac præsertim in morte, inuicta constantia & admirabili virtute vsus est, non solùm pura ingenuáque, quam de doctrina salutis ædidit confessione, verùm etiam in perpetiendis tum in obitu mirabili patientia cruciatibus. Complures illinc aufugerunt: alij tam fera immaníque sæuitia territi, homines magis quàm Deũ metuẽtes, ac terrenis potiùs inhiantes, quàm ad cœlestia aspirantes, rursus in ecclesiæ Romanæ obedientiam redierunt. Paucos pòst dies in Valdensium ecclesias Arquensem quippe Meronensem, Meaneam & Susanam grauis admodum facta est irruptio. Artes omnes, technas, factiones, consilia, direptiones, opprobria, & quæ illic patratæ sunt immanitates, sigillatim commemorare nimis longum esset. Paucis tantùm capita rerum quæque notiora sunt, & exploratiora perstrinxisse sat erit. Quoad ecclesias Meaneã & Susanam magnũ

certè ac diuersis afflictionibus oppressæ fuerunt. cum alijs nonnullis interceptus fuit etiam Minister: fugæ alij se mandarunt, ædes illorum direptæ. Pius verò ille ac fidelis Dei seruus, atque eximijs donis præditus, crudeli morte interijt: cuius inuicta qua vsus est in medijs etiam flammis patientia, aduersarios non mediocriter terruit. Arquensis itidem ac Meronensis Ecclesiæ impendio vexatæ sunt. Capti siquidem nõnulli & ad triremes relegati: quidam religioni Romanæ assensi sunt, bona pars fuga sibi consuluit. Erat autem fugitiuorum & eorum qui ad triremes relegati erant, numerus circiter sexaginta hominum. Pro certo est Euangelij desertores peius cæteris multatos fuisse. Quo exemplo commonstrauit Dominus quantopere eos detestetur, qui periculis territi ab agnita veritate recedunt.

Sed quò melius intelligi queat instituta in Valdenses horribilis persecutionis initium aduertendum est publico eóque sæpius iterato præconio, non ijs in locis tantùm quos hic populus incolit, verùm & circumiacentibus inhibitum fuisse nequis ecclesiastarum Lutheranorum conciones audiret: contrà verò quisque sacrificis peccata confiteretur,

Deum

Deum (vt aiunt) in Missa reciperet, ac cæteras Ecclesiæ Romanæ constitutiones obseruaret, idque sub pœna capitis aut publicationis bonorum, vel ad triremes perpetuæ relegationis. Vt autem melius edicta hæc exequutioni mandarentur, tres ad hoc omnium regionis illius hominum crudelissimi delecti. Nimirum Thomas Iocomeleus Dominicanus fidei inquisitor, ac tali munere dignus. Est enim cumprimis religionis euangelicæ turpissimus desertor, qui cognitam veritatem abiurauit, eámque hostiliter, reclamante conscientia, & ex consulto persequitur, quemadmodum egregij illius libelli abunde testantur. Ad omnem præterea libidinem detestabilémque spurcitiam propensus est impurissimus ille ganeo, quíque Sodomitica illa quam longè profitentur, enormi fœditate socios omnes superat. In summa, monstrum est horrendum Deo hominibúsque inuisum: qui insuper tot furta, tot expilationes, tot inuolutiones ac latrocinia in miseros Valdensium captiuos perpetrauit, vt dignus sit non dicam suspendio, sed qui quassatis ob tot horrenda flagitia membris omnibus, centies si fieri posset, rotæ affigatur. Secundum

locum sibi vendicat assessor nomine Corbis, cui pro delicijs crudelitas. Initio siquidem tanta barbarie cum miseris istis egit, vt in ipso examine nihil aliud percōtaretur, nisi vt enuntiarēt Missámne essent audituri, si minùs pro comperto haberēt, se intra triduum rapido igne penitus absumēdos, quod & exequēdum reuera curabat. Fertur attamen illum auditis beatorum Martyrum confeßionibus, visáque illorum inuicta constantia, consilium mutasse. Cúmque diros in animo cruciatus sentiret, palàm affirmasse (quēadmodum pij viri aliquot ac fide digni testantur) se nunquam huic negotio operam nauaturum. Tertius fuit rerum capitalium præfectus, vir truculētus, vafer & clandestinus, qui miseros ex improuiso, plerumque noctu, aliâs sub lucem, nonumquam etiam in itinere cum ad forum proficiscerētur intercipiebat, vinctósque in custodiam trahebat, in vallem Lusernensem ac locos circumiacentes hospitij causa sæpius diuertebat, ex quo fiebat, vt subinde incolæ instar ouium in medio luporum essent.

Tunc temporis Carolus Conteus Lusernēsis cum Dominorum Angruniorum quodam scripsit ad eos quibus demādata erat vexandorum

dorum fidelium prouincia, à quibus petebat vt cum Lusernensibus remissiùs agerent. hac occasione factum est, vt molliori cæteris brachio illi aliquantum temporis tractati fuerint. Ea tempestate Penerolenses monachi cum suis satellitibus vicinas ecclesias teterrimè diuexabant. cùm enim itinera ab incursionibus tuta præstare deberent, contrà quotquot illac Penerolum aut aliò se conferebant, capiendos atque in carcerem conijciendos curabant. Nebulones enim omnes quotquot circum circa degebant receptauerant, eósque ad populandos, concutiendos ac trucidandos infœlices illos ablegabant: quibus itidem præcipiebant, vt vinctos tam viros quàm mulieres ac pueros in custodiam monasticam pertraherent. Hos torquebant, illos ingenti accepto pretio dimittebant, quos pariter ad repetendam missam & abiurandas Ministrorum Valdensium cōciones promissionibus & iureiurando astringebāt. quoad reliquos, quorum maior erat constantia, partem ad triremes relegabant, partem igni truculentissimè cremabant. Quibus contingebat ex illorum carceribus euadere, postea adeò grauiter ægrotabant, vt toxicum hausisse putarentur.

Eo anno duo apud Pedemontanos terræ-

motus contigerunt, prior circa octauam Februarij diem, duabus ante lucem horis, alter mense Aprili. Frequentes etiam fuerunt tempestates, audita & horrenda tonitrua. Sammartineæ vallis nobiles subditos suos tum seuerioribus mãdatis, quibus ad Missam cogerentur, tum verò minis, carceribus, bonorum direptionibus, & alijs id genus iniurijs grauissimè vexabant. Præ cæteris duo insaniebant Carolus nempe Truchetus & Bonifacius fratres, hi siquidem non militum, sed prædonum congesta colluuie, postridie Calendas Aprilis paulò ante lucẽ adhibitis signis & tympanis quendam subditorum suorum pagum, Renclaretum nomine, clàm tamen & sine strepitu adorti sunt. Tam subita ista & insperata irruptione attoniti subditi, ac penè examinati, in montem multis adhuc niuibus opertum actutùm properant. Prædones verò, illos crebris glandium ictibus in medios vsque montes prosecuti sunt. Illi bona ex parte vestibus & cibarijs destituti, tremebundi planè & frigore propè enecti, in tertiam noctem illic persistere coacti sunt. Ganeonum nonnulli in loci illius ministrum, qui nuper è Calabria reuersus Renclaretanos inuisebat, fortè inciderunt, quem captum in cænobium

bium deduxerunt, vbi non multo pòst illum cum Sammartineo quodam ignibus tradiderunt. Minister autem admirabili constantia naturæ concessit. Interim lupus ille hians Carolus, nec-non impia sicariorum turba, quicquid fugientium ædibus inerat, id omne prædabantur, neque illuc prius excesserunt quàm pollicitus esset populus se Romanæ ecclesiæ per omnia obsequuturum. Tertia nocte Pragellenses sortem horum miserati iniquam, circiter quadringentos homines ad propulsandos ganeones, & fugitiuos in suas ædes restituendos ablegarunt. persuasi, hostes vt primùm de suo aduentu certiores facti essent, illico recessuros: at illi magno impetu plumbeis glandibus Pragellenses inuadere, qui se in arctum omnes collegerant. Ex quadringentis tamen illis nullus est desideratus, nisi quòd vnius pes vulneratus fuit. Tantas autem vires illorum animis indidit Deus, vt turma ista illico dißipata ac deleta fuerit. Carolus cum aliis nonnullis fuga saluti sibi cõsuluit. Antea circiter annum Truchetus ille ministrum Rẽclaretanum ex insperato dum concionaretur, apprehendere tentauerat, qua de causa flagitiosorum

turbam secum deduxerat , qui concionanti manus iniecerunt. Viso tam audaci facinore populus ita commotus est, præsertim verò mulieres tanta bile correptæ fuerunt, vt parum abfuerit quin Truchetus illic strangulatus fuerit, reliqui verò ita sauciati abierunt, vt illuc redeundi cupiditas illos nunquam postea incesserit. Ea res Truchetis multas lites huic populo intendendi ansam præbuit, vt de causa cum illis transigere mille sexcentis aureis nũmis coactus fuerit. Paulo pòst vallis eiusdem Domini illius etiam ministrum ceperunt, quo tempore in pagum quendam à suis ædibus ad milliare dissitum bene manè concionaturus properabat. Populus autem opis ferendæ gratia promptissimè accurrit. Hoc illi qui hominem prehenderant vt aduerterunt, nec fieri posse vt hominem abducerent, tot illi vulnera inflixerunt, vt quasi mortuum reliquerint. hinc illi plebis ita crudeliter opprimendæ occasionem arripuerunt, quem omnibus fermè facultatibus exuerunt. Neque verò silentio prætereundum est noctem illam qua Trucheti copiæ Renclareti fusæ ac profligatæ fuerunt, adeò horribilem propter aeris intemperiem fuisse, vt nobiles de se omnino actum esse putarent. Ex illo terroris quo penè

absorpti

absorpti fuerant memores, mitius paulò ac placidius se cum populo gesserunt, Truchetis exceptis, qui in Ducis aulam profecti, multa ibi de vniuerso Valdensi populo questi sunt, non de eo solùm quod acciderat: verùm etiam reos agebant quòd tria in montibus propugnacula construxissent, & exteros ad se milites aduocassent, multa insuper crimina in illos intẽdebant, quibus (quod luce meridiana clarius est) omnimodo vacabant. His attamen calumnijs Ducis animum tanta bile commotum aiunt, vt egregijs istis suggillatoribus Sammartineæ arcis (quæ à Gallis ante viginti annos diruta fuerat) instaurandæ tradita sit prouincia, quæ perpetuis fulciretur præsidijs. Præterea vt ab eius vallis incolis viæ (quæ difficiles admodum & angustæ erant) ita faciles & latæ fierent, vt equis quoquouersum peruiæ forent. Ad summum, multa alia impendiò acerba fieri præciperent eorum sumptibus qui duro Romanæ ecclesiæ iugo subijci nollent. In calce autem singulorum huius mandati capitum, scriptum erat, Et ita vult ac iubet eius Celsitudo. Impetrato igitur hoc mandato, instaurandæ arci diligẽtiam curámque omnem adhibent, eámque præsidio muniunt, mandatum verò per præconem promulgant.

Hoc edicto valde attonitus populus intercedere, & ablato legationis ab actuarijs exemplo legatos ad Ducem amandat, qui illum de sua innocentia certiorem facerent, rogarentque vt loca recognosci iuberet. Nobiles contrà vt opponentem se, & parere reluctantem populum conspicati sunt, derepente in curiam ad Ducem, qui tunc erat Niceæ, concitatis equis, vt animum illius in populum magis ac magis incenderent, maturarunt: adeò vt nisi Deus (qua est bonitate) huic negotio prouidisset, populus haud dubiò in horribilem calamitatẽ prolapsurus fuisset. ille enim rationes quibus & suis adesse, & manus auxiliatrices porrigere nouit quo tempore cõclamatum esse putes, in promptu habet. Ecce autem qua ratione huic periculo mederi voluit Dominus. Trucheti cùm essent Niceæ, vt primùm in mare quod haud procul ab vrbe distat, simul cum alijs plerisque optimatibus conscensionem fecissent, extemplò Turcarum nauis actuaria interuenit, quæ vtrunque inopinantem cum pluribus alijs intercipit: pro certo itidem habebatur, non sine ingenti difficultate Ducem euasisse. Turcas aiunt cum Truchetis inclementer admodum egisse, eósque grauiter diuerberasse, ac tormenta vsque

que adeò atrocia passos, vt vbique pro mortuis haberentur. Abiurata interim nobilitate cùm se quadringentis coronatis aureis redemissent, multò pòst tempore tandem ad suos relegati sunt. Accidit eo tempore vt Dux in morbum inciderit. Hac ratione Dominus Truchetorum consilia dissipauit, conatus illorum elusit, atque euertit, & præter opinionem in Barbarorum manus, de quibus nihil cogitabant, pertraxit: quò feroces illorum spiritus contunderet, & superbum simul ac procacem fastum comprimeret. Aprili proximo die quodam mercurij in inferioribus Angruniæ partibus adfuit Dominus Raconius, vbi magna omnium admiratione cum tantopere sæuiret persequutio, concionem audiuit. Habita concione Ministros illi conuenire visum est. Postquam autem de Ducis tum ægritudine tum clementia egisset, istas persecutionum procellas, nequaquam ab illo profectas asserebat: verùm accepta quadam quæ se obtulerat occasione mandatum aliquod, sed non æquè atque exercebatur, importunum tradidisse. rogauitque insuper qua ratione Principis iracundia mitigari posset. A quo super hoc obnixè petierunt Ministri ne ipsos celaret si

qua via eò aspirandum esset, intelligeret. Verùm rogante illo vt suam prius illi sententiã efferrent, respondent summatim nulla de re qua Deus offendatur cum populo agendum esse. Nullam autem sibi commodiorem viam occurrere, quàm qua prisci Dei cultores ad pacificandos Principum & Imperatorum animos vsi sunt, quo tempore magno æstu feruebant Ecclesiæ persecutiones: qui vtique fidei suæ confessionem, & religionis cui adhærebant, Apologiam offerebant, spémque non deesse, cùm increduli Principes & Imperatores hoc modo placati sint, Ducem qui tot eximijs virtutibus insignitus erat, facilè quoque placatum iri. Addunt populum hac de causa documenta quædam, ad Dominum Carolum Contensem, Lusernæ Angruniaq; Dominum, antehac Duci præsentanda misisse, se verò an oblata fuerint ignorare. Quare si illa offerre ipsi commodùm videretur, conuallenses omnes ei hoc nomine perpetuò deuinctissimos fore, necnon submißè Deum precaturos vt illum incolumen quàm diutißmè seruet. Quorum petitioni acquieuit lubens, séque id confecturum fidem dedit. Idcirco ei tres expositorij supplicésue libelli dati sunt, ex quibus Duci vnum, alterum Ducissæ, Senatui

tertium

tertium traderet. Exponebant paucis quænam illorum esset religio, quæ illius capita, illam ex puris verbi Dei fontibus haustam, atque adeò à maioribus suis iam olim obseruatam: Et si ex puro Dei verbo palàm fieret eos aliò quàm ad veritatis scopum collimare, haudquaquam ita pertinaces fore, quin statim de sententia decederent. cæterùm quòd tam duris modis crucientur, antequam vel impietatis in Deum, vel in Principem rebellionis rei agatur, iniquum esse. hoc inter ipsos haudquaquam, sed contrarium potius repertum iri, proinde curent (si res sit illis cordi) ne tot in posterum molestijs adobruantur. Aliquantum temporis paulò remißior videbatur persequutio.

Circa finẽ Iunij Dominus Raconius simul cum Trinitensi horribilis illius persecutionis (vt aiebant) sedandæ causa Angruniam venerunt. Syndicis & pastoribus in vnum conuocatis profectionis suæ causam aperuerunt, multísque sermonibus de Ducis clementia & bonitate habitis, multa etiam de doctrina, Ministrorum vocatione, Missa, & quæ Principibus ac Magistratibus debetur obedientia, in medium adduxerunt. Addunt præterea libellos expositorios tum Duci tũ eius consilio

propositos, Romam delatos esse, quorum responsa propediem expectentur. Prorogata est in tres ferè horas ista in Ministros instituta concertatio, qui profectò aptè & eruditè ad singula capita responderunt. Posthæc ad Syndicos, Ministris præsentibus, se conuertuntur. ab eis primùm sciscitātur an Principi Missas in suis locis celebrare iubenti repugnaturi essent. Negarunt vno verbo Syndici se id suscepturos. Ad hæc, Si Dux, inquiunt, concionatores mitteret qui verbum Dei exponent, num illos auscultaturi essent. Si verbum Dei purè exponant, libentissimè quidem (aiunt Syndici) sin aliter, haudquaquam. Percunctantur tertiò num gratum fuerit Ecclesiastas suos interim dum alij concionabuntur cessare, qui verò mittentur, si à veritate aberrarint, suos ad pristinū munus redituros: ad ista si cōsenserint finiendam spondent persecutionem, captiuósque in libertatem asserendos. Producta est in crastinum Syndicorum responsio. Postquam hac de re cum populo actum fuit, respondent se vt Ministri in opere Domini cessent assentiri nō posse. Satis profectò liquebat illos hac arte vnum hoc venari, vt frigefactus paulatim populus, & ab instituto cursu iam iam nonnihil

reuocatus,

reuocatus, ad religionem Papisticam relaberetur. Hoc responso minimè contēti nobiles, extemplò peregrinos concionatores expelli iubēt: quos Dux cum pro hostibus haberet, prouincias suas incolere nollet: ab illísque sciscitabantur num Principis sui hostes in propria eius ditione fouere vellēt, (multáque alia id genus) præsertim cùm id cum eius edicto paulò ante promulgato disertè pugnaret. Excipiūt Syndici nefas esse, nisi prius eos erroneum quid, vel impium docuisse, vel flagitium aliquod tali pœna dignum commisisse liquidò constet, cùm eos sanæ doctrinæ, sanctæq; vitæ homines perpetuò cognouerint. Tum Edicta publica redintegrari persecutiones magis ac magis incrudescere. Qua in re Penerolenses Monachi inter cæteros se furijs omnibus agitatos ostenderunt. Habebant enim conductitios non milites, sed siccarios, quos singulis diebus emittebant vt domos prædarentur ac vastarent, viros cum adolescentibus interciperēt, atq; in Monachorū custodiā deducerēt.

Tum temporis ex nebulonibus istis turmā Sangermanū (qui locus est in valle Perusina) ablegarūt, qui proditoris cuiusdam ductu Ministri ædes rectà petierunt, quo cum perfidus ille familiariter antea versatus erat. Probum

hunc virum proditor euocat, qui ad vocem illius ſurgens ſtatim exiјt foras: animaduerſa proditione aufugit quidẽ, verùm curſu ſuperatus illico captus eſt, ac grauiter vulneratus. Quo autem celerius viam conficeret, illum à tergo ſuis ſpiculis lancinabant, alios multos vulnerarunt, quoſdam neci dederunt. Captiuos pleróſque tum viros tum mulieres cum paſtore in cœnobiũ abduxerũt, quod etiamnum quotide factitabant. Admirabili conſtantia perpetuò fuit Eccleſiaſtes tam in carcere quàm in morte quam paſſus eſt truculentiſſimam. Lento enim igne crematus eſt, iámque corporis illius pars aliqua ab ignibus abſumpta erat cum nihilominus Dominum Ieſum confiteretur,& clara voce inuocaret. Inquiſitor Iacomeleus cum Monachis & aſſeſſore Corbino pluſquã barbara in illum crudelitate vſi ſunt. Iam enim in medijs flãmis cremabatur miſer, cùm duas Sangermanas mulieres (quas captiuas tenebant) adegerunt vt faſciculos igni inferrent, dicẽtes, Sume hoc impie hæretice, quandoquidem nos malè docuiſti. quibus ille, Heu miſeræ (inquit) haudquaquam vos malè docui, ſed malè profeciſtis. Quid multa? Sangermanos ceteróſq; vicinos etiam ita vexarũt, vt bonis

vt bonis omnibus ſpoliati ædes ſuas deſerere & in montem concedere coacti ſint. Hiſce prædationibus ad tantam inopiam redacti ſunt, vt plures quibus commodè erat domi, & eleemoſinas largiebantur, emendicato pane victitarent.

Quia verò cucullati iſti cum ſua illa cohorte quæ trecentorum prædonum eſſe credebatur, tibias ac tympana geſtantium, omnia infeſtabant, infinita mala perpetrabant: rogati Eccleſiaſtæ vt ſuam ſuper hac re ſententiam declararent, in ſummis iſtis anguſtijs liberum eſſe populo cenſuerunt horum ganeonum qui ſola Monachorum authoritate fulti, tanta ſæuitia graſſabantur, vim & rabiem propellere. Studioſè autem populum hortabantur, vt quantum fieri poſſet, ſanguini parceretur, ac multo præſtantius eſſe fluxas & caducas opes amittere, quàm homines quos ad imaginem ſuam Deus creauit è medio tollere. ædhæc aſsiduis quiſque precibus à Deo peteret vt ſibi manus à fundendo ſanguine humano temperaret, quæque inde oriri poſſent incommoda ſecum in animo diligentiſsimè reputarent.

Sic ſtante omniũ planè ſententia Luſernẽſes & Angrunij è ſuis aliquot Sangermanis

dederunt, qui profligandis Monachorum satellitibus subsidio essent. Mense Iunio quo segetes apud Pedemontanos succidi solent, Valdensium plerique, demetendi causa, huc illuc per eam regionem se contulerant, sicuti pro more, vt quæstum aliquem facerent quotannis proficisci solebāt, eo quòd mōtes tritici non sint admodum feraces. Diuersis illi temporibus & locis alij aliorum ignari, ad vnū omnes ferè capti sunt, sed qua est bonitate Deus, omnes veluti miraculo quodam è carceribus euaserūt, quæ res etiam aduersarios in admirationem rapuit. Extiterunt & alij eodem tempore qui admodum diu in vinculis fuerunt, mortem in horas expectantes, quos tamen sua misericordia Dominus admirabili ratione inde eripuit.

Mense Iulio cum manè quodam in monte essent Angrunij, qua parte Sangermanum spectat, demetendis segetibus operam dantes, sclopetorum quosdam crepitus è Sangermano audiuerunt, mox deinde grassatorum turmam illinc veniētem obseruant. Cùm autem dubium esset Angruniámne essēt petituri, tum illi subitò conclamare, buccinari, populus in montem conuenire, nonnulli Sāgermanū versus excurrere, hi per summa,

per

per ima alij: qui per ima, quinquaginta ſolùm numero erant. Hi in latrunculorum turmam inciderũt, qui Sangermano ſpolijs onuſti redibant, erántque centum viginti egregiè armati. hi autem quinquaginta in illos tanto impetu irruunt, vt in fugam egerint, eorum tergo indeſinenter inſiſtentes. Sed quoniam pontis aditu prohibebantur, pars ſe in Cluzontem præcipites dederunt, atque ita aquis obruti ſunt, pars gladio perijt, pauci admodum euaſerunt. tam vulneratorũ quàm occiſorum ſanguine fluminis aqua rubefacta eſt. eo prælio nullus Angruniorum ſauciatus eſt. Verùm ſi pleno fluxiſſet alueo flumen, vt antea ſolebat, ne vnus quidem emerſiſſet. Tantus autem fuerat glandiũ plumbearum crepitus vt trecentos aut quadringentos ex Valdẽſibus intra horam ad fluminis ripam coegerit, quibus in animo erat captiuos è vinculis monaſticis aſſerere: ſed paſtorum cõſilio deſtituti, negotiũ hoc in poſterũ diem protraxerunt. Admonent Miniſtri ne tantum facinus ſuſcipiant, quin potius ab incœpto deſiſtant, quod lubentes præſtiterunt. Non dubium tamen ſi ſtatim ab illa clade rectà in cœnobium contendiſſent, (quod ſolo miliari illinc aberat) quin fores a-

pertas offendissent. Tanto enim terrore concussi fuerant cucullati isti, vt è vestigio Penerolum imagines & reliquias comportandi gratia ocyssimè confugerent. Finitimi populi vsque adeò perterrefacti sunt omnes, vt companas vbique pulsarent, multique fugam inirent, veriti ne tot illatas sibi iniurias Valdenses vlcisci tentarent.

Postridie sancti Antonij fossani Præfectus nobilibus quibusdam comitatus Angruniam venit, se Ducis authoritate missum asserens. conuocatis ergo Syndicis & Pastoribus Angrunicis, simulac Lusernensibus, profectionis ad illos suæ causam aperuit. Ac postquam supplicem explicatoriúmque libellum qui populi nomine Duci antea exhibitus erat palam perlegisset, rogauit annon eum ipsum quem miserant esse agnoscerent, cùm rem ita habere respondissent, tum acrem aduersus illos concertationem init, hac vsus præfatione, eos nimirum vltro sese obtulisse, se quoties erroris arguerentur sententiam mutaturos. Istud, inquam, aduentus sui causam esse. Super hæc à Missa, sed non sine stomacho initio facto, vocabulū Missa ab Hebræo Massa, quod suo iudicio, consecrationem significat, originē duxisse asserebat. Præterea dictionem Missa

in

in libris veterum doctorum reperiri. Respondent Ecclesiastæ illum tota via errare, quod ad vocabulum Hebraicum attinet. Non agi præterea de voce Missa, sed de re ipso vocabulo designata, quam primùm omnium firmis verbi Dei testimonijs operæpretium erat comprobare. In summa, nunquam illum Missam priuatam, Sacrificium expiationis, Transsubstãtiationem, adorationem, pro viuis & mortuis applicationem, & id genus alia, quæ primaria sunt Missæ capita, sacris Scripturis aut patrum veterum scriptis comprobaturum. Præfectus cùm nihil quod regereret in promptu haberet, tum vociferari, tumultuari, cœtum conuitijs impetere. Cúmque multa à proposito discedens effutiret, & ab ijs quæ dicebãtur aures animúmque auerteret: (dicebat enim se eò non disputandi) sed ministros Ducis nomine expellendi causa, in quorum locum alios esset subrogaturus profectum, quod tamen facturus non erat nisi prius exactis ministris) illinc se in cœnobium Penerolense contulit. Vbi cum Iacomeleo ipse ingentem numerum tum Campilloniorum tum Fenilicorum (qui vallis Lusernẽsis incolæ sunt) comprehendi, & cum hominibus bona simul diripi & portari, gregésque & armenta abduci

D.i.

præcepit: quúmque illos ad periurium compulisset, magnam pecuniæ vim ab illis extorsit. Eadem tempestate quidam ex nobilibus Campillonijs triginta coronatis aureis cum fugitiuis pactus est se illos ita molestijs omnibus exempturum, vt in suis ædibus pacificè acturi essent. Acceptis triginta aureis Præfefectus cum suis clanculum de nocte adrepere, deinde miseros in ædes suas conuenire iussit: qua quidem arte in lupi hiantis gulam, qui eius fidei omnino confidebant, impiè cõiecit, iuxta Synodi Constantiæ decretum, fidem scilicet non esse hæreticis seruandam. Verumenimuerò (prout nouit Dominus suis opportuno tempore in subsidium venire) quidam de Præfecti aduẽtu admonitus fuit: qua de causa fugam cœperunt omnes, atque hac ratione proditoris insidias effugerunt. Posthæc missæ sunt à populo ad Raconium literæ, quibus docebat nec voluisse nec potuisse Præfectum quicquam eorum quæ promiserat, verbo Dei commonstrare: sed conuitijs tantùm egisse, Ministrorum responsa & obiectiones auditu indignas existimasse. Rogare ergo suppliciter, vt Ducem totius rei certiorem faceret, ne vel iniquum, vel

insolens

insolens duceret, si in sua religione tantisper insisterent, dum rationibus è Scriptura sacra petitis, ipsos errare ac decipi palàm fieret. Ex illo mandata extiterunt per totam regionem plurima. Non paucos in populum illi dolos & machinas commoliuntur, ad Euangelium, si fieri poßit, è Pedemontanis montibus ac vallibus exterminandum. Et quæcunque in medium producta fuerant, ad ea certum est satis supérque responsum fuisse, imò ita appositè, vt cuilibet abundè satisfactum foret, modò ea, quæ decet, modestia & æquitas adhibita esset. Nihil magis in votis habebant misselli (iuxta ac sæpius & voce & scripto testati erant) quàm vt Deo purè ad verbi ipsius canonem, vt veteri & nouo Testamento continetur, inseruirent: tum vt Principi ac Domino suo in omnibus & per omnia morem gererent. At proh dolor! tantum abest vt miseris pace frui liceret, vt potius quibuscũque modis fieri posset, excarnificarẽtur, vt abundè suprà, postea verò clarius patebit.

Sub finem Octobris proximi in ore omnium erat, in ipsorum omnimodam perniciẽ exercitum comparari. Ea itaque de causa certum & exploratum erat, aliquot iam

militum cohortes per regionem Pedemontanam contractas, quibus mandatum erat vt promptæ & expeditæ essent eò quò iuberentur, & res postularet, incedere. Insuper profugi omnes ac proscripti quocunque vel maleficio vel crimine id accidisset, reuocantur, concessa ipsis omnium flagitiorum condonatione, modò ad populum Valdensem profligandum arma capessant. Hac de causa Lusernenses & Angrunij pastores vt rebus suis prospicerent, sæpenumerò cum Syndicis cõuenerunt. Quorum omnium sententiæ in eum scopum collimarunt, vt Ieiunium in proximos dies indiceretur, Cœna item proximo die dominico celebraretur: adhæc vitam nõ esse armis tutandam, sed in supremos montes secedẽdum, quò quidem si hostes progreßi fuerint, tum se id consilij capturos quod Deo visum erit suggerere: denique è suis quisque bonis quantum posset ocyùs in montem transferre inciperet. Nec mora decretum hoc populo denuntiatur, cui durißimum visum est non esse liberum armis se tueri, cùm eò vi & violentia adigerentur. Attamen cœpit quisque commeatum, & è suppellectili nonnihil in montem comportare, adeò vt per octiduum nihil in vijs præter homines celerrimè euntes ac rede-

untes

untes appareret: non secus ac æstate currere ac recurrere formicæ nunquam intermittunt vt sibi victum in hyemem congerant. Illi autem animos mirum in modum generosos in iis angustiis tantóque discrimine ouantes præ se ferebant: psallebant, vicissim alter alterũ sese firmabãt. Vt summatim dicam, tanta cum lætitia in montes istos sese recipiebãt, vt nemo vnquam auditus sit, qui domus, opum ac prædiorum desiderio moueretur. Sed omnibus certum & constitutum erat, quemuis successum, etiamsi (Deo volente) omnibus vnà moriendum esset patienter expectare. paucis pòst diebus alii quidam Ministri intellecta Lusernensium & Angruniorum deliberatione, literas miserunt quibus admonebant sentẽtiam hanc, Vitam non esse armis tuendam: nonnullis absurdam videri, qui multis rationibus euincere conabãtur licere populo in tanto discrimine ac penè desperatis rebus, hostium impetum armis repellere: propterea quòd pro Dei gloria, pro vera religione, próque sua, vxorum, liberorúmque vita id suscipi asserebant, præsertim quum haudquaquam Dux, (qui tamen ad hoc per tales incendiarios accendebatur) verùm Papa ipse cum suis huius belli author esset. Pro-

inde tantam vim tantúmque furorem armis retundere neutiquam esse nefas. Quibusdam etiã exemplis sententiam suam approbare satagebant. Interea Carolus Conteus Lusernẽsis Angruniæ Dominus, pro suo in Angrunios amore modis omnibus adnitebatur, vt eos in Ducis pertraheret sententiam. Et quia videbat illos sibi firmissimè constare, nec posse vllo pacto à sententia diuelli, eis vt peregrinos Ecclesiastas extruderent persuadere tentabat, promittebátque sua vnius opera, eius rei nullã curã gerẽte populo, Angruniæ Missã celebratum iri, séque magna spe duci incẽsum Principis animum hac ratione mitigari posse.

Angruniæ initum est à patribus familiâs concilium, vbi pronunciatum à populo, se non hominibus, sed solùm Dei verbo astringi. Quapropter si per Principem alios Ministros qui purè concionentur accersere liceat, se nihil reluctari quo minùs amandarẽtur quos habebant exteri. Quod ad Missam attinet, in ipsius potestate situm esse vt in suis Parœcijs eam celebrare iubeat, se verò quominus intersint, néue vllo pacto assentiantur, religione impediri. Vigesima secunda Octobris idem ille Angruniæ Dominus Mondeuisio (vbi Ducis nomine præfectum agebat, cùm Lusernam

Lusernam accessisset) Syndicos & primates Angrunios illico accersi iußit, quos de magnis quæ ipsis imminebant periculis, cùm iam in procinctu staret copiæ commonefecit, & se nihilominus si assentiri velint, vt acies gradum sistat protinus effecturum. Ad hæc Angrunij se in ea sententia, quæ constituta rataque in concilio, & biduo ante literis commissa fuerat omnino persistere, respondent. Addit præterea vt ista cum animo suo versantes rebus suis cautè prouiderent, cauerêntque ante omnia ne Principi suo verba darent. Iterarunt Syndici aliíque se à scriptis suis ne latum quidem vnguem discessuros. Tum autem sibi satisfactum esse innuit.

Postero die sermo vbique diuulgatus est, Angrunios Ducis voluntati subscripsisse: iámque paßim volitabant literæ. Hæc autem die Veneris acta sunt. Sequenti verò & Dominica die turbis, lachrymis & suspirijs Angruniæ plena omnia. Coram Ecclesiastis & populo vocati sunt Syndici, qui asseruerunt se omnino scriptis ne hilo quidem immutato, arctißimè insedisse: Mißi sunt clanculum ad Scribam nonnulli, vt ab actuarijs descriptū concilij decretū auferrēt. Verùm illic Angrunios in Ducis supremi sui Principis sentētiam

planè conceßisse compertum est. His auditis, mirè perculsus populus se his minimè obtemperaturum seriò affirmauit, vel omnes vnà potiùs emorituros. Super hæc decretum est ea ipsa hora (tametsi aduesperasceret) mittendos ad Angruniæ Dominum nuntios, qui decretum concilij adulteratum ei patefacerent, peteréntque vt (ni molestum esset) postero manè (lunæ nimirum) Angruniam vsque concederet, illic totius vniuersitatis nō virorum modò, sed etiam mulierum ac puerorum voces ac sententias intellecturus. Eò proficisci noluit. Verùm comperto qui Angruniæ interuenerat ingēti tumultu, loci illius iudicem illuc amandauit. Quod adulteratum erat in pristinum statum restituitur, omnia ad veritatem reuocantur, dilucidéque grauium atque idoneorum testium astāte corona nequid adulteraretur, explicantur. Huius erroris causam flagitantibus à iudice Angrunijs, culpam ille in Grammateum transtulit. Ea temporis intercapedine vbique apud Pedemontanos nihil nisi fasciculos & ignes in doctrinæ Euangelicæ sectatòres Valdensium hostes concrepabant.

Die Iouis insequente Angrunia tum publicis præconijs, tum affixis vbique literis,

flam-

flammis & ferro euertenda delendáque deuouetur. Die autem veneris, qui Nouembris secundus erat, copiæ ad Lusernensium confinia appulerũt. Quidam excursores Sanioannem vsque (qui locus in depreßiori parte Angruniæ situs est) progreßi sunt. Tum populus ad montes magna celeritate ascẽsum facere. Sanioanninorum aliquot præcursores istos non sua tantum bona diripere, sed viros etiam captiuos abducere vt viderunt, manibus ac pedibus obstitere. Multæ vtrinque è sclopetis glandes vibratæ: cuiusdam ex hostibus interfecti arma sub vesperam Angruniam delata sunt. Sciri nequiuit vulneratorum numerus. Palantes ac dispersi milites à Ducibus suis collecti sunt, ac Bubianum, vbi consistebat exercitus, illico reducti, è Sanioanninis nemo penitus nec desideratus, nec vulneratus. Eadẽ hora accidit vt duo ex illorum equitibus perterriti, effusißimis habenis ante cæteras copias, quæ tum ad se accingendum itineri paratæ erant excurrerent, horribili voce ad arma clamantes, En hostes in procinctu. hac formidabili voce milites exterriti, hac illac in fugam omnes coniecti sunt. Quo cõspecto duces primipili & centuriones, milites quidem spiculis acerrimè feriebant: eo tamen

die illos nec colligere nec in ordinem cogere potuerūt, tametsi eorum tergo nemo prorsus instaret.

Sabbati diluculo, exercitus in pratum Sanionninum Angruniæ propinquum coijt, vbi cohortes omnes lustratæ fuerunt. Angrunij aditus custodibus munierant, vt copijs, si fieri posset, aditus intercluderetur. Populus interim qui de exercitus aduentu donec appulit persuaderi nequibat, se in pratum Toreum properè contulit. Eo die tam subitus neutiquam expectabatur aduentus. Etiam tum populus cum commeatu vasa quædam siue impedimenta gestatu facilia efferre pergebat. quæ causa fuit vt aditibus propugnandis paucissimi adfuerint. Custodes ergo (hostes interim sese ad prælium parare) in genua procumbentes, precibus à Deo petebant, vt misericordia motus sua ipsis scelera non imputaret, sed causæ quam sustinebant æquitatem inspiceret, hostium corda immutaret, ac vtrinque manus à fundendo sanguine temperaret. Si demum ei visum esset ipsos simul cum vxoribus & liberis ex hac vita reuocare, in cœlestes beatarum animarum sedes reciperet. In singulis aditibus preces à custodibus

fie-

fiebant, adhibitis exhortationibus vt irremissa voce ad Deum clamarent, eius auxilium implorantes. Atque ita se quisque componebat, ac si iam iam illi sistendus esset. Fiebant hæc in Trinitensis & totius acie conspectu. Extemplò per vineta milites conscensionem faciunt, vt Angrunÿ montis suprema occuparent (qui à vitibus Sanioannis initio facto, quæ planitiei adiacent, in altum protenditur ad Toreum pratum vsque, longus ad duo milliaria) ad Austrum verò domus Angrunicæ sitæ sunt. Erat interim Sanioanninus Prior in æde Angruniorum sacra, de pacto cum Syndicis verba faciens, qui illuc dedita opera cum inquisitore Iacomelò, suique similibus, consopiendi decipiēdíque populi gratia emissus fuerat. In summa, diuersis in locis cœptum est prælium, & ad aliquod tempus in ipsis tum aditibus tum limitibus Angrunicis diffusum: cohortes plurimæ summa vi reiectæ sunt, quibus recentes continuò submittebātur. At miseri homines (qui vix numerū cētesimū adæquabāt, ex quib. octo Sāioānini, sex Roccapiatēses, reliqui Angrunÿ, q per totū illū diē ne minimo qdē subsidio adiuti sunt, quíq; primo cōflictui nō aderūt omnes, imò, quod peius est, magna ex parte non nisi

fundis & balistis instructi erant) miseri, inquam, quum se varijs locis oppugnari, & penè iam ab hostibus circumuallari cernerent, altiùs paulò conscēdunt, vbi aliquantum magna vi pugnarunt. Adhæc prout hostes instabant, continuò ad summa paulatim enitebantur, adeò vt furiosos hostium impetus virtute plusquàm Herculea ad noctem vsque sustinuerint. Vbicunque se locus aliquis pugnæ accommodatus offerebat, ibi pedem aliquantulum figebant, non sine magna hostium clade, ex quibus alicubi septem extincti iacuerunt, vulnerati non pauci. Quum iam aduesperasceret, hostes conquieuerunt, illic castra facere, cœnare & pernoctare sperātes. hoc conspecto Angrunij, Deum submisse precari, illius subsidiū implorare: alij interim miseros subsannare. Hi verò quosdā in valliculam haud procul ab ipsis semotam qui illic tympanisarent, amandarunt. Diutina laboris contentione fatigati, sudore perfusi omnes ac siti propè enecti erant. Precantibus ipsis ac tympano hostium aures verberante, iubet Trinitensis suos illinc abscedere magno ibi Angruniorum detrimento castrametari cupientes. Ex hostibus trucidati plurimi, multi etiam vulnerati sunt, qui postea ferè omnes è vita migrarunt:

qua

qua de causa glandes veneno infectas dicebant, quod tamen quoties ad pugnam ventum est, nunquam eis vsu venit. Tres eo die ex Angrunijs naturæ concesserunt, quidam pede vulneratus illicò conualuit. Prælium hoc ingentes animos Angrunijs dedit, hostes verò propè exanimauit. Recedendo exercitus, ea die domos multas, casas, tuguria aliáque bona igne absumpsit, ac præsertim vina, quæ adhuc in labris vinaticis erant, effudit. Trinitensis ipse apud Turrim (qui pagus in Lusernensi valle amplißimus ad radicem montis, inter Angrunios & cæteros eiusdem vallis incolas situs est) castra fecit. Incolæ vici illius Valdensium puræq; religionis hostes acerrimi perpetuò fuerant, bellúmque illis cruentum inferri exoptabant. Verùm nulla eiusmodi voluptate lætitiáue affecti sunt, qua non eis multas calamitates attulerit. Nam præterquam quod direptis opibus penè omnes ad inopiam redacti sunt, parum inde etiam honoris ad eorum vxores & puellas redijt. loci illius propugnaculum (quondam à Gallis dirutum) Trinitensis illico instaurandum curat, quod vbi præsidio muniuisset, aliud deinde Villarium (quod in valle est Lusernẽsi) ad castellum quoddam bene munitũ,

alia itē ad arces Perusinam & Sāmartineam ablegauit.

Videntes Angrunij tempestatem vniuersam in suum caput recidere, postquam se Deo precibus commendarunt, eique in manus res suas commiserunt, à vicinis vtpote Perusinis, Sanmartineis & Pragellensibus auxilium petunt: qui nulla mora (in qua plurimum est periculi) interposita, lubentissimè paruerunt. Die Dominica vesperi, puer quidam acceptis à Trinitensi literis Angruniam venit. Profectionem hanc præ metu nemo præter puerum hunc (natione quippe Valdensem) suscipere ausus erat. Literarum hoc erat argumentum, se ingenti ob ea quæ pridie obtigerant molestia ac mœrore confici, séque minimè isthuc præliandi, sed explorandi causa, an loci natura arci in Principis obsequium extruēdæ commoda foret, profectum: cæterùm milites populum illic collectum quum viderent, se ab illo prouocari arbitratos, ad arma prosiluisse: se verò tot bonorum conflagrationem iniquo animo ferre. Quòd si fortè Principis voluntati parere consilium foret, spem componendæ pacis optimam sese iam offerre. Respondent Angrunij se quod bello cruento etiam à Principis sui subditis infestarentur, non posse

non

nō molestißimè ferre: & quia toties iam Duci supremo suo Principi pro omnium eius subditorum fidelißimis simul & obsequentißimis sese venditarunt, cuius etiamnúm hodie rursus obsequio submitterent, hac de causa suppliciter precari, ne facinus audax & insolēs existimet quod è suis aliqui vitæ propugnandæ causa arma ceperint, cùm ad hoc fuerint extrema neceßitate compulsi. Tum demum quod ad ipsorum religionem attinet, eam puro Dei verbo prout per Prophetas & Apostolos traditum est niti sustentaríq́, eámq́ multis seculis à suis maioribus seruatā haudquaquam dubitādum. Præterea non de huius mūdi opibus, sed de Dei honore & gloria, déque sua & liberorum salute & exitio agi. quapropter omnibus commori quàm à sua religione deficere, longè præstantius esse. Statuisse igitur hunc spiritum pro Dei gloria, próque sua religione profundere. Vitæ huius breuem esse cursum, gloriæ coronam sempiternam. Cúmque sit omnibus definita mors, optandum vt vita quæ fluxa ac instabilis est, Deo ac religioni potius donata, quàm naturæ aut (abnegato vitæ authore Christo) Satanæ reseruata videatur. Si tamen docere posset quispiam non ferro,

non ſanguine aut flammis, ſed validiſsimis Scripturæ ſacræ teſtimonijs ipſos in errore verſari, libenti animo ſuperſeſſuros: ſéque illum cum cæteris Pedemontanorum nobilibus ſuppliciter & ſummiſſè precari, vt ipſis apud Ducem aduocati eſſent.

Lunæ quarta eiuſdem Nouembris, Triniteus copias partim Villarium, partim Tailleretum miſit: quarum pars minor Villarium verſus conſcēdit, & aſſumptis ſecum præſidiarijs militibus, ad eum vſque locum cui nomē Comba (Villaricæ præfecturæ membrum) pertigerunt. Relictis autem ædibus & bonis populus vt hoſtium vitaret ferociam, eò loci cōfugerat. Iis tamen affluētibus poſteaquam ex intimis affectibus Deum inuocaſſet, cum hoſte congredi conſtituit. Cæterùm quæ paulò inferius erat cuſtodia fuſis ad Deum precibus, in turmam aſcendentem impetu facto, quoſdam interemit, inter cæteros tympaniſtam, nonnullos etiam vulnerauit: quo facto cæteri terga verterunt. Mirum profectò tam multos à tam paucis primo congreſſu fundi fugaríque potuiſſe.

Aſcendit cohors altera Tailleretum verſus: loci incolæ quamuis exiguo eſſent numero, cum inuocato Dei nomine, ſe illius fidei commen-

commendassent, summa virtute prælium inierunt, læti super hæc ob partam victoriam, Villarini venerunt eis in subsidium, qui coniunctim omnes tanta animi virtute hostes aggressi sunt, vt in fugam coniectos ad planitiem vsque (magno suo commodo & hostium iactura non mediocri) propulerunt. Accidit autem, cùm hostem insequerentur, res memoratu digna. Dum enim tanto æstu huic turmæ instarent, ab inimicis qui in insidijs erant supernè, vt illos aggrederētur aduenientibus interclusi fuerunt, qui tamen hostes per medios penetrantes, salui omnes, exceptis tribus, qui vulnerati sunt, móxque valetudini restituti, euaserunt. Eo in prælio cæsi hostes, plenis plaustris conuehebantur, adeò vt qui fidelium sanguini insidias parabant, fusi ipsi ac deleti fuerint. Eadem die Sansonij Roccapiateis vicini, contracta ingenti cohorte, diuitis cuiusdam Roccapiatei domum inuaserunt, qua capta, illic constiterunt quoad illam rebus omnibus expoliassent. Quo comperto, ex Roccapiateis septemdecim, magno impetu facto, turmam hanc in fugam coniecerunt, prædámque omnem dicto citiùs abijcere coegerunt.

Acceptis Triniteus Angruniorum literis,

amanuensem, nomine Christophorum Gastaudum, qui se ab Euangelica veritate stare iactabat, cum nobili quodam, Syndicos Angrunios conueniendi causa amandauit. Horum munus erat, vt ad se viros idoneos quibuscum de rebus necessarÿs sermones vltro citróque miscere posset, ablegarent, quos in suam fidem reciperet, quibusque ea narraturus esset, quæ eis longè gratissima futura essent. Ministros Syndici conuenerunt, & ex primoribus populi quos licuit (tum enim ferè omnes in mõtem recesserant) quæ ab ÿs nuntÿs intellexerant, fideliter retulerunt, de quibus inter se simul contulerunt. Tandem visum est selectos viros aliquot ad illum mittere. Reuersi legati quàm benignè fuerint comitérque à Triniteo excepti referunt, eúmque asseruisse. Ducem sibi ex aula discessum parãti hæc verba fecisse, Etiamsi Papæ, Principibus, Italiæq; ciuitatibus firmum ratúmque esset populum hunc funditus delere, sibi tandem aliud intus in animo diuinitus suggeri, vtpote cum eò remissiùs esse agendum, sibique id consilÿ cœlitùs obtigisse. Illos insuper Dominam Ducissam maximè propitiam habere, quæ Principi causam ipsorum sedulò commendaret: dicerétque populi huius haben-

dam

dam rationem, vt qui haud nuper excogitatam, sed à maioribus acceptam religionem excoleret, multáque id genus alia. Postremò in aula Ducis multos esse qui eis ex animo fauerent, quò quidem si nuncios supplicatum Duci mitterent, plura fortasse quàm rogarent impetraturos: tum se tum alios plerosque amicos in hac re operam suam lubenter adhibituros. Qua re confecta, ipse vnà cum copijs illico esset recessurus. Addebant & illud legati, illum vtpote minimè simulato, sed plano & aperto ore (suo iudicio) loquutum esse. Populus qui nihil tam altè pectori infixum habebat, quàm vt vitam quietam in sua religione, súbque Principis sui obedientia transigeret, consilium hoc ambabus, vt aiunt, vlnis amplexus est: eiúsque rei Triniteo responsa fecit, rogitans annon & cæteris fratribus eandem pacem esset conciliaturus, quod se præstiturum annuit.

Hisce diebus Angrunia obseruatum est hostilis exercitus partem Tailleretinum montem versus (qui mediam viam occupat quæ Angrunios à Lusernensibus dirimit) conscendere, quísque cæteris præiret eò iam viæ deuenisse quà iter est in pratum Toreu, quáque facili

negotio Angrunia intercludi cingíque queat. Idcirco derepente in occursum missi sunt qui iter illis præcluderent, quandoquidem in transcursu omnia flammis exurebant. Hi hostes intrepidè aggressi, strenuè admodū præliati sunt. Milites non sine suorum iactura (vt ferebatur) pedem retulerunt. Cùm autem iam obscura esset lux, & interfectorum corpora hostes statim efferre solerent, reuera sciri illorum numerus haudquaquam potuit. Hostis interim ad castra vsque fugatur. Angruniorum nemo nec cæsus nec occisus. Verebantur tamen ne hic congressus pactum remoraretur. Verùm Triniteus insignis, simulandi ac dissimulandi artifex, hìc egregiè conniuere, ac quicquid esset in animo celare, & reperta causa culpam in Tailleretinos transferre: quos causabatur è suis aliquot, potissimùm chirurgum in via publica trucidasse.

Insequēte Sabathi (qui nonus erat Nouēbris) reuocat Angrunios Triniteus, vt cum eis de compositione ageret. Quibus prioribus sermonibus repetitis & confirmatis suadebat, vt submissionis & obedientiæ certissimum signum ederent, arma in vtriusque Syndici domos deponerēt, nihil quicquam timerent, quum eis fidem daret, nec alibi hæc quàm in

solo

ſolo natali fierent, eáque vbi libitum eſſet, recipere poſſent. Die ſequenti qui Dominicus erat, ſe velle aiebat in S. Laurentij Angruniæ fano Miſſam recitari, quò paruo cum comitatu venturus eſſet, ſéque hiſce de rebus Ducem certiorem facturum, qua ratione incẽſum eius animum mitigari poſſe ſperabat. Conuenerunt ante lucem Syndici cum primatibus populi & paſtoribus, vt hæc diligenter examinarent. Etſi autem illis admodum grauis & moleſtus eius aduentus eſſet, commodè tamen illum impedire nequiuerunt. Summo manè Templum ingreſſus eſt, copijs à tergo ſequẽtibus. Decantata Miſſa, magno Torei prati (omnium ſermone tantopere celebrati) viſendi cupiditate ſe teneri aiebat, vt loci totius ſitum & naturam principi referre poſſet. Atque illuc tandem ſe deduci per Syndicos, magno armatorum agmine ſtipatus, præcipit. Reliqui ad fanum pedem fixerunt, qui domos quaſdam compilarũt, armáque quæ apud alterum è Syndicis erant rapuerunt, pauca tamẽ reperta ſunt, cùm illa bona pars iam reſumpſiſſet. Ingreſſus ille pratum quidem, verùm ſubitò commonitus tumultum in populo concitari, regreditur, percontatus nunquid maius aliud pratum eſſet Toreum? Toto eo die quot-

quot illi obuiam fuerunt, ÿs se mirum in modum comem, benignum & affabilem exhibuit. Miles quidam surreptæ gallinæ accusatus, luit pœnas, gallinámque restituit. Verùm de domorum prædatione, armorũ direptione, verbum nullum, propterea quòd eò absente hæc patrata fuissent. Prodigiosa certè & periculi plena ea dies fuit. Nam bona pars populi visa præ oculis acie, præsertim verò quòd pratum Toreum illæ inuisisset, tantopere commota fuit, vt si vel vnus sclopetariorum iaculari cœpisset, non prius sedatus fuisset tumultus, quàm multo sanguine perfusa fuisset terra. Proinde qui religiosiores erant, ac maiore Dei Zelo inflammati, illũ tota ea die ex animo inuocarunt.

Subsecutis tandem diebus Amanuensem suum Gastaudum Triniteus Angruniam misit, vt concilium cogeretur, pactionique ab illo cœptæ finis imponeretur. Cuius hæc summa erat, Omnes in vniuersum Angrunios libenter & ex animo eo submittere sese vt Deo ad verbi eius canonẽ honorẽ quẽlibet ac reuerẽtiã omnem, item Duci Sabaudiæ suo summo Principi debitã exhibeãt obedientiama, d quẽ delectos viros missuri essent, qui pro armis etiam vrgentißima neceßitate captis, veniam

exora-

exorarent, supplicitérque rogarent, vt in sua religione solius verbi Dei fundamento inni- xæ, placide vitam agere liceret, neue quid committere præter consciētiam adigerentur, prout omnia fusius eo supplici Libello expli- cantur, qui hîc ad verbum adscribetur, & nuper in tabulas publicas relatus, inque concilio Scriba præsente aliísque testibus perlectus fuit. Cuius exemplum ad vxorem Domini Caroli Contēsis Montisdeuij præfecti Angruniæq́; Domini extemplò perlatum est.

Exemplum libelli supplicis.

AD EXCELLENTISSI- MVM ET GENEROSISSIMVM PRINCIPEM DOMINVM DVCEM SA- baudię supremum nostrum naturalémque Principem ac Dominum.

QVosdam è nostris ad tuam Celsitu- dinem, illustrissime clarissiméque Princeps mittimus, qui submissißimam, promptissimam ingenuámque nostram in illam obedientiam animo tuo cla- ram testatámque faciant: quíque sup- pliciter ijs à quibus etiam deploratissi- ma necessitate ad arma concursum est,

nec-non & pro cæteris omnibus noxis (tua quibus à nobis lædi potuit benignitas) veniam exorent. Qui præterea demississimis animis tuammet Celsitudinem Christi nomine precentur vt liberum sit nobis (quod sine tua molestia fiat) religionem nostram à maioribus nostris per tot secula obseruatam, excolere. Præsertim cùm purum ac sacrosanctum Iesu Christi Euangelium, veritatem vnicam, vitæque ac salutis verbũ, penes nos esse certò persuasi simus. Et quamuis, ne in maiestatem diuinam iniurij simus, nullis Ecclesiæ Romanæ traditionibus assentiri queamus, id æqui bonique tua consulat Celsitudo etiam atque etiam rogamus. Qua etiam in re petimus, vt te animarum non nostrarum modò, verùm & liberorum nostrorum misereſcat, ne tua etiam Celsitudo huius mali quodammodo conscia, de eo coram iusto Dei iudicio (cui velint nolint omnes sistantur oportet) rationem reddere cogatur. Quod ad nos attinet, sanctè promittimus, fidémque astringimus; fore nos in perpetuũ sinceros Dei cultores, qui eius voluntati iuxta normam

mam Sacris literis præſcriptam, toto pectore animo ac viribus ſimus inſeruituri: tuæ quoque Celſitudini probos ac fideles ſubditos, cæteríſque quotquot ſunt omnibus, reipſa obſequentiores futuros, ad opes item, corpora, & vitam non noſtram ſolùm, ſed & liberorum pro tua excellentia (vt noſtra fert religio) exponendã perpetuò paratiſſimos. Id vnum expoſcimus, vt animæ noſtræ ſuæ libertati relictæ, Deum purè iuxta eius verbum colere poſſint. Nos interim abiecti tui ſupplicéſque ſubditi Deũ Opt. Max. pro fœlici diuturnáque tuæ Celſitudinis incolumitate, próque Domina noſtra Sereniſſima, & nobili præclaráque Sabaudiæ familia ex animo precabimur.

Tibi ſummiſſiſſimi, & ad omne obſequium paratiſſimi ſubditi
Populus Angrunicus.

His palàm in templo Angrunico quadringẽtorum hominum aſtante caterua perlectis, Sanioannini, Roccapiatei, Sanbartholomei & Peruſini ſubſcripſerunt. Finito conſilio abijt Grammateus ad Luſernenſes eadem exequu-

turus. Conueniunt ergo Syndici, Ecceſiaſtæ & alij nonnulli, vt de conuentione conſilia conferrent. Libellus ſupplex, cui innitebatur pactum, primò lectus fuit. Dein ſigillatim rogati omnes, rectène omnia, an verò eſſet quippiam quod addendum, immutandum, detrahendúmue exiſtimarent. Reſpondent omnes rem non poſſe melius conſtitui. Villarici vallíſque eiuſdem nonnulli poſtridie aſtipulati ſunt. Triniteſis verò dum agitaretur iſta pactio, Taillleretinos grauiſſimè torquebat, quòd illos paci componendæ, haudquaquam interfuiſſe, & ſuis neſcio quid minitatos (illis tamen contrarium aſſerentibus) prætexeret. In opprimendis autem miſeris hanc viam ſecutus eſt: Iubet primo loco ipſorum arma ad ſe comportari: deinde vt humi poſitis genibus quod cum alijs nō interfuiſſent, ab eo veniam peterent, id quod bona pars præſtitit. Verùm quò plures ad eum armis ſecum delatis ibant, eò ſeueriorē ſe illis præbebat. Et quia ad dictā diē non omnes ad eum acceſſerant, in locum quendam conſtitutum conuenire iubet, vbi eorum nomina qui pacto ſubſcripturi eſſent, deſcriberentur, quod & poſtero die factum eſt. Nam patresfamiliâs quotquot erant, Bonetios profecti ſunt, vbi concione audita, &

inuocato

inuocato Dei nomine, describi cœperunt. Nondum peracta descriptio erat, quum ab hostibus iuga montium & aditus omnes occupari renũtiatum est. Territi admodum Tailleretani, ad vxores & liberos, qui magna iam ex parte in manus hostium venerant, adproperarũt. Fuga nonnulli salutẽ petunt, alij intercepti Turrim (vbi castra erant) bonis proprijs onusti abducuntur. Bonorum pars diripitur, reliquum tametsi in summis montibus esset, igne absumitur. Eodem die post prædationem Triniteus se illis, si ad se venirẽt, condonaturum nunciauit. Hac pollicitatione freti, ipsi multa ex parte Bouetios redeũt. Postero manè sub lucem illuc venerunt milites, vt eos simul & pastorem interciperent, qua de causa locum ipsum omni ex parte cinxerunt. Qui dexteriores erant, fuga, sed ægrè, saluti consulunt, reliqui aut capti, aut vulnerati, postea tamen euaserunt. Ea ipsa hora gestum est memorabile facinus. Aderat enim ibi senex quidam, qui quum fugam accelerare non posset, ad illum ense districto accurrit militum quidam vt illi caput ad humeros vsque dissecaret. Conspecto autem mortis imminẽtis periculo vetulus, ad hominem propius accessit, quem geminis cruribus

abreptum proſtrauit,& ad radices montis raptauit,clamantem, Adeſte,ferte opem ô ſocij, occidit me ſordidus ruſticus.quo audito illius ſocij accurrunt: vetulus interim ſibi fuga egregiè conſuluit. Cuius eximio facinore conſpecto,cæteri vires collegerunt, & quanquam armis deſtituti, fundis tamen & lapidibus hoſtes tanta virtute repulerunt, vt ne tunc quidem vllum captiuum abduxerint.

Sequenti die prædones Tailleretum repetunt, reſiduúmque quod repertum eſt bonorũ diripiunt, continuato per triduum latrocinio,id quod & illis factu minimè arduum fuit; veriti ſiquidem miſeri ne interruptæ aut repudiatæ conuentionis accuſarentur,nullo pacto reſiſtebant: Sed ad Villarianos ſeſe contulerunt.

Die quarta Trinitẽſis vt modis omnibus Tailleretinos diuexaret, antelucano tempore copias in eius loci montem emiſit. Sed cùm ad Villarianos (vt dictum eſt) & eorum confinia monteſque ſupremos confugeret populus,milites quod Tailleretti reliquum erat,cõpillaſſe haud contenti,in fines Villarinos irruptionem faciunt, & abſque reſpectu,quicquid occurrit vndequaque diripiunt. Captiuos tam viros quàm mulieres ſuis rebus

oneratos

oneratos abducunt. Remittuntur tamen vesperi salua pudicitia, at surreptis impedimentis mulieres. Cum captiuis inclementius iusto actum est. nam inter cæteros extitit quidam, cui è militibus vnus instar canis rabidi dimidiatam aurem dentibus auulsit, his verbis astantes affatus: Ex perditorū horum Lutheranorum carnibus aliquid mecum in patriam deferā. Erat ille Antropophagus ex vna è cohortibus quæ Montedeuio accesserāt. Tot tantísque iniurijs & prædationibus sibi illatis valde commoti Villarini, se induciarū tempore & cum de pacto ageretur, tam indignè tractatos conqueruntur. Hæc vt resciuit Triniteus, ac si ex animo doluisset, militibus (fessis quidem non dimicādo, sed onera comportando, quæ ex præda referebant) in occursum venit, vbi iratum vultum simulans nonnullos percussit, quæque viliora erant (pretiosioribus reseruatis) restitui iubet. Repertæ sunt eo die in montis spelunca quadam mulieres duæ, nempe mater & filia, quæ à militibus lethaliter sauciatæ, postea è vita migrarunt. Cæcus itidem annorum trium & cētum (qui vnà cum nepte annos octodecim nata, quæ ei cibum admouebat, in aliam quandam speluncam sese receperat) ab hoste cæsus

est, puella etiam capta, cuius pudicitiæ dum vim inferre parant libidinosi isti ganeones, è manibus eorum sese extricauit, & è rupibus præruptis præceps facta, animam efflauit. Eodem quoque tempore tum Tailleretinarum, tum Villarinarum mulierum bona pars cùm fugeret, multáque de suis rebus secum asportaret capta, & Turrim cum sarcinis deducta, & è vestigio quidem, sed vacua, remissa fuit. Quid quod eiusdem oræ furcifer quidam Triniteo ausus est polliceri, se in manus ei Tailleretinum Ecclesiasten eo die traditurum? Hic vero vt verba ad rem conferret, non prius à cursu & labore cessauit quàm hominem nactus esset, cuius tergo postquam multum diúque institisset, magna voce exclamans ait, Eccum éccum hominem. cùm autem illum ita instanter vrgeret, interuenerunt ex monte nonnulli, qui clamosum istum lapidibus obruerunt. Verùm imprimis memorabile est, quod durantibus hos tumultibus, eius oræ Papistæ quidam filias suas in montem eductas, Valdensium curæ & fidei commiserunt, veriti ne (vti iam sæpius minitati erant) in omnem libidinem immanitatémq; profusi isti milites, eis vitium afferrēt.

Rebus ita confectis, eomet tempore

non-

nonnullos ex primariis tam Syndicis quàm plebeiis conuocauit Triniteus, quibus aciem Duci magno constare docet: proinde operæpretium esse vt sumptuum partem aliquam Valdenses sustineãt. Quocirca ab illis coronatos aureos vicies mille exigit. Ex quibus Gastaudi opera, qui sibi clanculum centum aureos promitti curauerat, quatuor millia detracta sunt, ita vt sedecim millibus pactio constiterit, de quibus dimidiam partem Dux pro sua clementia remisit. Populum instantissimè vrgebat Triniteus, vt sibi hæc octo millia repræsentarentur, stipendiis vt aiebat militibus numerandis, vtque ea ratione copiæ summouerentur. Fuerat autem anno proximè elapso tanta rei frumentariæ caritas, vt sex aureis, imò & octo quandoque venierit saccus tritici, qua ratione factum est, vt miser populus omni ære prorsus careret. montes prӕterea illi frumenti non sunt admodum feraces. Mutuam igitur pecuniam ídque grandi & immodico fœnore accipere coacti sunt, quam magna etiam cum difficultate nacti sunt. Verebantur enim negotiatores ne traditis nummis pactum violaretur. Prospiciens populus quantum in nanciscenda pecunia

difficultatis ac laboris esset habiturus, quum rebus omnibus pacem patriæq; otium ac libertatem anteferret, vaccas suas venditioni exponendas existimauit, vt dimisso creditore exercitus eadem opera summoueretur. Edicto autem cauit Trinitẽsis ne mercatorum aliorúmve quispiam vllas à Valdensi populo mercaretur pecudes, néve infœlix ipse populus illius iniussu distraheret. Prodierunt interea quidam negotiatores quibus magnum emendi numerum, & quidem peruili pretio (nam illum quæstus prædæq; consortem esse fama erat) potestatem fecit. Acceptis pecuniis nihilo citius castra mouebantur. Accessit præterea quidam Grammateus qui pro suo iure sibi mille deberi coronatos causabatur.

Hoc confecto, Triniteus Valdensium arma omnia poposcit, quibus Ducis propugnacula munire in animum induxerat, alioquin se milites in eos emissurum minitabatur, multósque reuera vt illa ad eum perferrent adegit. Octo deinceps aureorum millia à Principe remissa repoposcit, ad quorum solutionem eos promissione constrinxit. Post modum iubet eiici pastores, donec apud Principem causa dirimeretur, alioquin se illos per milites ocyssimè exacturum. Quocirca omnium consensu

ſenſu & iudicio decretum eſt, vt tantiſper ſecederent Eccleſiaſtæ dum acies ſubmoueretur. quod tamen non niſi multis cum fletibus & gemitibus fieri potuit. Erat autem diebus illis multo vberior quàm longo antea tempore niuium abundantia, ita vt improbo labore populus Sammartinei montis fauces (tranſmittendis illac paſtoribus) adaperire fuerit coactus. Exiſtimabat interim Triniteus ita ſe illos circunſeſſos tenere, vt nunquam è ſuis caſsibus ſeſe extricare poſſent, tum quòd vniuerſam planitiem occuparet, tum verò quòd montes tanta niuium copia onuſti eſſent. Populus itaque Miniſtros vt videt tantis in difficultatibus & periculis conſtitutos, tranſitum eis per montis anguſtias fecit. Diſcedentibus illis, cateruatim populus Bobiacum in ſemotum quendam locum accurrit. Heu quãtos illic fletus, quantos luctus videas! Effuſè ſiquidem collachrymabant omnes, quòd abeuntibus Paſtoribus ipſi tanquam oues in medio luporum deſererentur. Paſtores illic congregatos, militibus cùm renuntiatũ eſſet, derepente illò conceſsit magna ſclopetariorũ caterua, qui perſcrutatis omnibus, in ſuprema montis ſi fortè ibi reperirentur aſcendunt, ita vt ſi diſceſſum ſexquihoram remorati fuiſſẽt,

de illis actum foret: haud absimile in media conualle factum est. Ex illo milites per dies aliquot omnia sursum deorsum versare, Ecclesiastas se nacturos alicubi confisi, nihil intentatum relinquebant. ædes nullæ, non cubiculum, neque cella vinaria, villa nulla aut casa fuit quam nō ingrederētur, nulla erāt scrinia, nullus locus tanta diligentia occlusus, quē non reserari iuberēt, Ministros illic abditos affirmantes, qua quidem arte commodiorem sibi quidlibet auferēdi occasionem captabant. Et quanquam cæteris omnibus Ecclesiastis docēdi munere interdictum esset, Angrunicū tamen excipiendum sæpenumero fidē dederat Triniteus. Et quod maius est, ei per amanuensem significauerat, si quid esset quod vel à Duce vel ab ipso peti cuperet, eum id minimo negotio impetraturū. Qua de re hoc vnum postulauit minister, vt saltem liceret plebi pacato animo quod supererat vitæ in religione sua peragere: quinetiam suis verbis illum crebrò saluere iubebat, certísq; de rebus vt eum clàm conuenire commoditas daretur, semel atque iterum rogauit. quod certè assentiēte populo libēter ei cōcessit Ecclesiastes. Quamobrem occiduo plus minus antequam summoueri exercitum iuberet, eo inquam tempore

quo

quo Valdēsium agro cæteros Ministros amandari iusserat, illum Sanioannem (qui locus inter castra & Angruniam medius erat) accersiuit, quo & ipse magno armatorum agmine stipatus, positisque non procul insidijs accessit. Eò loci vbi conuenissent omnes, tria Ministro proponit Triniteus, quorum primo de primatu Papæ agebatur, super quo responsione accepta, cōsensum simulauit. Altero capite de Missa, maximè verò de Transsubstantiatione quæstio erat. Auditis ijs quæ disertè à Ministro producta erant, rationes & argumenta in medium allata, ab ipso literis committi postulauit. Postremò scopus ad quem præcipuè collimabat ab eo attingitur. optabat enim illi persuasum, vt secū in aulam Ducis, qui tunc Vercellis erat, Valdensium causæ defendēdæ gratia proficisceretur: útque eum eò pelliceret, multis rationibus & argumentis vtebatur. Cui Minister, se sui iuris qui de hoc negotio solus decidat non esse, sed Dei & Ecclesiæ. Quòd si ita Symmistis ac populo visum esset, libenter profecturum, seque his breui responsurum. Rem ita sibi gratam annuit Triniteus. Trium autem ferè horarum spatio hisce de rebus inter se contulerunt.

Post paucos dies ille nihil respōsum mora-

tus, furtim de manè exercitum ſuum rectà in Templum Angrunicum acſi Miſſam illic eſſet auditurus, progredi iubet. Extemplò Miniſtri domum cingunt milites, quo de certior factus, cùm ſeſe ſubducere vellet, eius fugam non vi & violentia, quòd perpauci dum milites appulerant, ſed blando ſermone remorari nituntur. Vlterius Eccleſiaſtes nihil impedientibus militum blanditijs continuò fertur: qui eum ad miliare inſequuti cùm ſibi à populo timerēt, vltra progredi non audent. Interim autē dum ille per præruptos mōtium ſcopulos ac rupes vitæ conſulit, ecce derepente in propinquo ſtant hoſtiles copiæ, quæ illum quanta maxima fieri poteſt diligentia, per domos, & quæ ad ima erant caſas, imò vſquequaque diſquirunt, nullum non ſæuitiæ genus in incolas vt paſtorē ſuum indicarēt, exercentes. Qua de cauſa, quamuis rebus omnibus ædes denudarent, hos caperent, illos vulnerarent, nunquam tamen vbi eſſet prodiderunt. Tandem inter rupes viſum ac recognitum, circumdari poſſe ſperant: qua de cauſa illum per ſaxa niuiſque ad veſperum vſque perquirunt, ſed fruſtra. Quammobrem eum intercipere cùm nequirent, domum, quam tūc temporis incolebat, direptum abeunt. Libros

illius,

illius, tabulas, commentationes & literas omnes intentè vestigant. Inuenta ad Triniteum perferunt, quæ omnia se præsente exurenda curauit, ratus (vt verisimile est) quas de pacto literas Angruniam miserat eadem opera comburendas, neque enim in aliorum pastorũ ædibus visa talis immanitas. Eo die milites Angruniorum ædes plus minus quadraginta deprædantur. Pistrina omnia effringunt, ferramenta & quicquid reperiunt tritici & farinæ auferunt. Media ferè nocte cum facibus & laternis Ministri huius domum repetunt, vbi nihil intentatum relinquunt, sed omnia sursum deorsum circùm circa longè latéque rimantur. Postero die Syndicis iniunctum est, vt intra horas quatuor & viginti illum exhiberent, alioquin ferro & flammis breui delendam Angruniam sibi persuaderent. Respondent Syndici, id non esse in sua potestate, cùm vbinam esset ignorarent, eúmque milites in transmontanam regionẽ expulissent. Aliquanto pòst exustas à militibus ædes, pistrina effracta, plebem magna ex parte expilatam, & innumera perpetrata flagitia, recessit exercitus. Quatuor illas Ducis intermedias arces Triniteus præsidijs, Valdensium sumptibus & impẽsis muniuit. Quod nõ exporta-

rat exercitus, id stipendio suo non contenti præsidiarij isti milites, diripiebant. Paulò pòst prædones quinquaginta aut circiter, intempesta nocte cum facibus Angruniam progressi, in diuitis cuiusdam domum irrumpunt, eúmque exhauriunt. Vix ille multo cum labore per ædium integumenta saluus euasit. Nam eum & spiculis & glandibus ad mortem immani feritate persecuti sunt: contortæ sunt in eum glandes duodecim, quarum vna pileum ei excußit, & spiculo in faciem percussus, nihilonimus tamen saluus & incolumis euasit. Qui commeatus & pecuniæ ferendæ causa se in arcem contulerant Syndici, ambo capti retinentur, vtq; illos & vniuersum populum magis vrerent, grauiorique contumelia afficerent, Missam velint nolint in ipsorum oculis recitari iubent. Quod verò illam haud tali dignentur honore cui genua incuruarẽt, tot ictibus toto corpore atteruntur, vt se demortuos putarent. Horum alter ad querendos iterum nummos copiosiores remittitur: alter magno cum vitæ discrimine de muro se præcipitem egit, cuius tergo milites ad Angruniæ confinia haud impigrè institerunt.

Paucis pòst diebus accesit Angruniam militum cohors, quæ transitum modò simulans, vinum

vinum apponi sibi cum edulijs rogat. Quod in promptu erat citius dicto in atrio parietibus circūclusō appositum est. Post sumptas epulas, eiectis milieribus, è viris qui cibos eis attulerant quatuordecim captos alterum alteri alligant, eósque abducere parant, quo comperto mulieres puerique conclamant, deinde lapidibus eos tanta ferocitate insectantur, vt nemo nō eò cōcurrerit: qui factū est vt, ex captis decem coacti dimiserint, adeò sibimet fuga consulere maturabāt. Quatuor ad arcem pertrahuntur, quorum duo redemptionis oblato pretio remittuntur, alij duo manibus & pedibus suspenduntur. Hos postquā barbari tāta immanitate cruciarunt, iámque morti propinquos vident, libertati quidem, sed nō absque pretio maximo restituunt. Horū validior nocte à liberatione proxima fato concessit. De alterius vita multū diúq; desperatū, eius è manibus pedibúsq; marcida putridáque caro decidit, vtráq; deinde manu debilitatus, vnde & illi digiti exciderūt. Haud minore alibi rabie sæuiebāt. Operi rustico vacātem adolescētulam, in Castellum Villaricū pertractam non ante biduum restituūt. Arcis Villaricæ custodes à vicinis sibi cibaria suppeditari imperabant, quorum palato cùm vel primarij panes

haudquaquam arriderent, sibi è butyro subigi pro imperio iubent, cúmque veruccinam, pinguémque regionis Pedemontanæ vitulinam (qui cibus est exquisitus) fastidirent, oppiparos quoslibet cibos sibi comparari iubent.

Nocte quadam Turrinæ Villarinæq; arcis præsidia vt coiissent, Bouetios Tailleretinæ præfecturæ membrum (cuius antea facta est mentio) proficisci constituunt. Eò vbi peruentum est, locum ipsum lustrare, pòst alij tecta conscēdere, nonnulli ædium fores effringere, viros quatuordecim apprehendere, quos arctè stringunt, deinde binos brachijs alligatos, dum quicquid libitum erat prædati essent, ad propugnaculum Turrinum trahere. Ex hoc verò congressu duo qui dum alij caperētur aufugerant, ijs qui captos deducebant veniunt in occursum, eósque lapidum crebris iaculationibus ita terruerunt, vt ex vinctis velint nolint duodecim dimittere cogantur: qui cum se per scopulos rotarent, ligatis à tergo manibus hoc pacto mori potius, quàm in propugnaculum trahi optantes, salui tandem euadunt. Duo verò qui in arcem ducti sunt atrociora, quàm dici queat, tormenta perpessi sunt. Mox ex his alterū adolescentem

bonæ

bonæ indolis, præfectus suis ipse manibus suspendit ac strangulauit: alter qui sexaginta plus minus annorum erat, inaudito horribilíque mortis genere interemptus est. hîc enim plusquam Turcica horum militum in Valdenses crudelitas prætereunda non est, quò intelligatur immanitati nũquam deesse vnde vltramodum sæuiat. Cum ergo ex arbitrio miserum hunc constrinxissent, insecti quoddam genus equino stercore vescens, eius vmbilico catino contectum admouent, quod ante fodicare & rodere quàm in illius aluũ penetrarit, haudquaquam desiit: atque ita truculenta morte còncidit miser. Horrenda hæc facinora atque ab omni humanitate aliena, à quibusdam præsidiarijs militibus postea in vulgus sparsa sunt.

Erat populus tum temporis in summas angustias adductus, potissimum quod sacris ei concionibus de more frui non liceret. Quapropter postquam se quisque collegisset, de instaurandis concionibus vno animo omnes deliberant: verùm secretò & absque tumultu duabus præcipuè de causis, tum ne prouocaretur Ducis animus, & legatorum profectio, cuius non omnis spes conciderat, impediretur, tum ne nocendi ansa militibus offerretur,

quibus nihil magis erat in votis. Angruniȷs decretum erat vbi primùm legati rediȷssent, quicquid nuntiȷ seu lætum seu triste referrent palàm conciones habere: se insuper nihil amplius in præsidiorum alimoniam suppeditaturos, neque passuros vt in posterum tecta Angrunica subeant.

Qui Vercellis profecti erant, illic per sex hebdomadas detinẽtur. Hos Papistici Doctores sæpius aggressi sunt, plurimum eis negotiȷ facessentes. Ac in primis tantum abest vt libertas Euangelica ipsis concessa sit, vt vi promittere coacti sint se denuò missam amplexuros. vrgebãtur præterea vt fidem de cæteris darẽt, id quod planè recusarunt. Vbi vero se Principi stetissẽt, literas Valdensium supplicatorias Amanuẽsis Gastaudus è nuntiorũ manibus eripuit, eisque alias supposuit. Impetrata à Principe pro sumptis armis venia, idem etiam à Papæ legato flagitare coguntur, licet initio planè recusarent. Reuersi ex aula cum his insuauibus & iniucundis nuntiȷs legati, vidénsq; populus edicta de reditu ad Missam innouari, paratos item concionatores Papisticos, qui se per nũtios quæri postularẽt, tum vbique ob tam miserandam calamitatem eiulationes, suspiria, fletus.

Die

Die quadam collecti Lucernēses & Bobiaci, duos Ministros cum quibusdā è totius populi primariys viris, ad Pragellēsium (qui sunt in Delphinatu) Ecclesias ablegarunt, qui miserabilem illus ecclesiarum Valdensium conditionem exponerent, vt de ratione qua huic malo succurri poßit cum eis consilia conferrent. Quò res autem fœliciorem succeßum haberet, orationi precibúsque omnes incūbunt. Et iam multum diúque inuocato Dei nomine, eius gratiam ac spiritum discretionis consiliíque petētes, reputatis itidem accuratè quibus vrgebātur negotijs, statutum est tandem vniuerso Valdensi populo tam Delphinatus, quam Pedemontanorum mōtes ac valles incolenti, fœdus inter se inire. Eadem opera pollicebantur omnes Deo bene iuuāte, se puram Euangelij prædicationē, Sacramentorum administrationem pro sua quemque virili conseruaturos, mutua sibi inuicem auxilia præstituros, Superioribus ad verbi Dei præscriptum, omnem obedientiam exhibituros. Adhæc ex vniuersis vallibus nulli liberum fore quicquam in Religionis negotio promittere, transigere & pacisci absque aliorum authoritate & consensu. Et quò firmior stabiliórque fieret huius fœderis

constitutio, ex Ministris Ecclesiarúmque Delphiniensium primatibus aliquot, Lusernenses adierunt vt resciscerent, hæccíne probaturi, ratáque habituri essent. In quam sententiam libentissimè & æquo animo ab omnibus itum est, vt infrà videre est.

Legati, pastores, cæteríque Delphinates vt primùm sub noctem Bobiacum venissent, certior factus hac de re populus illico accurrit, eísque cunctos Patresfamiliâs in posterum diem ad concilium generale conuocatos indicat, vt sciri possit quinam denuo Missam essent amplexuri, qui verò minimè: eos autem qui amplecterentur fore in suis ædibus quietos, renuentes verò in manus Iudicum tradẽdos, à quibus hac pœna damnarentur, vt igne viui cremarentur, aut ad triremes relegarentur. Qua de re populus in has angustias adductus erat, vt sibi vel moriendum, vel fugiendum, vel Deum abnegandum putaret. omnium quidem honestissima ratio fuga videbatur, nisi ingens niuium abundantia spẽ hanc ademisset. Collectus ergo populus, vbi se talibus angustijs teneri videt, animo haud inuito, fœderi assentitur. Interea sedulò inuicem alter alterum his verbis cohortabantur. Quãdoquidem in crastinum vocamur, omnes vt tran-

transitione à Deo facta illum penitus abnegemus, ac rursum putido idololatriæ cœno immergamur, agedum macti virtute iureiurando sanciamus, nos abominandam Papæ religionem toto animo reÿcere & execrari, contrà verò ad verbi Dei præscriptum victuros & morituros. Cras in templum concionem audituri conueniamus omnes, idola postmodum humi strata confringemus, atque altaria euertemus. In quam sententiam concedũt omnes, sublatis in cœlũ manibus, effati, Fiat, fiat etiã ea ipsa hora qua ad conciliũ præstò adesse iussi sumus. Postridie magnus vndique hominum ad Templum Bobiacum factus est concursus, qui fundis arcubalistis aliisque eiusmodi telis instructi erant, cùm primum autem illuc ventum est, haud expectata concione, imagines & altaria humi detrudunt. Habita cõcione, Villarium eadem facturi concedunt. Accidit autem in itinere, vt inciderent in turmam prædorum, qui propugnaculo egressi erant, vt viculum quendam (cui nomen vallis Guichardi Bobiacæ Ecclesiæ membrum) diriperent, incolásque captos secum in arcem deducerent. Vbi verò rusticos ita instructos vident superbi isti Thrasones, tum irridere, in eósque irruere, glandes quam-

plurimas eiaculari, existimantes primo congressu dissipatos agricolas, in fugam actum iri. Verùm tanta virtute repulsi sunt, vt asperrimis lapidum iactibus ad propugnaculum vsque in fugam conuersi fuerint. Quum eò deuenissent, mox imagines & aras demoliũtur, deinde arcem obsidione cingunt, captiuos qui illic tenebantur, reposcentes.

Hoc ipso die Lusernensis præfectus, (quem vulgò Podesta vocant) eò loci venerat, vt concilio generali interesset, simúlque eorum nomina scriptis mandaret, quibus denuò Missam sectari visum esset. Præsentem verò intuitus tragœdiam, totus animo cohorrescẽs, supplex à populo flagitauit, vt tutò recedendi sibi facultas daretur, quod certè nullo ei negotio concessum est. Ex eadem valle multi quoque Nobiles illuc accesserant, vt suis quisque subditis veram religionem abnegandi authores essent. Comperto verò tumultu se in arcem conyciunt. Vbi simul cum militibus magno cum vitæ discrimine conclusi obsessique manserunt: nam obsidio in decimum vsque diem producta est. Die obsidionis secunda Turrinæ arcis præfectus obsessis opem ferre cupiens signa, aliquot eò ducebat, quæ viarum custodes partim deleuerunt,

uerunt,

uerunt, partim in fugam egerunt. Tantundem die tertia euenit. Quarta verò tribus cohortibus ac Turrino præsidio secum adductis regressus est. quod profectò grauissimi conflictus causa fuit: siquidem ex illis complures extēplò ceciderunt, ac vulneratorū numerus ingens. E populo nullus neq; cæsus, neq; saucius. Qui arcem obsidione cingebant, multas variásque rationes quibus illam demolirentur, excogitarunt. etenim nisi maiorum tormentorum fulminibus quateretur, inexpugnabilis erat. Confecerunt primùm instrumenta quædam lignea (balistas vocant) quibus saxa torquentur, vel sagittæ, sed quia gelu astricta erant, citò abrumpebantur. Pluteos deinde ex asseribus construunt, quibus fœnum superinducunt, aqua quæ gelasceret superfusa, sed hæc nequicquam. Alios item ex grandioribus lignis extruunt, quos subruendo muro admoliūtur: quosdam etiam cuniculos egerunt. Verùm irrita omnia, nisi quid hostibus terrori fuerunt. Cùm tandem populo spes omnis de arce expugnanda excidisset, iámque Triniteus cum exercitu in vallem Lusernensem accessisset, qui postero die obsessis auxilium ferre poterat, præsidiarij saluis rebus exeundi fieri sibi potestatem

rogant, quod & eis concessum est. Obsidionis tẽpore pars militũ illorũ occisi, pars tum glãdibus tum saxis grauissimè vulnerati. Et cùm aquæ penuria laborarent, panem vino subigere coguntur, quod ventriculo non parum officiebat, ídque in panis quem ederant butyro subacti compensationem. Neque verò obliuioni hoc loco dandum est, milites ipsos qui antea Ministrorum vitæ adeò acriter insidiati erant, illos iam submissè precari, vt per eos ipsis vitam retinere liceat, pollicerentúrque nihil sibi damni à suis illatum iri. tum demum ab eis tãtisperdum asylum quodpiam nacti essent deducerentur, neque prius ex arce pedem mouere ausi sunt, quàm fidem illis Ecclesiastæ dedissent, à quibus hoc illis non inuito certè animo concessum est. Qua de re milites suum studium & laborem omnem propter nauatam sibi operam detulerunt, eisque gratias immortales egerunt, Ea ipsa nocte propugnaculum dirutum est.

Postridie calendas Februarias Lusernam secundò Trinitensis aduenit, ibíque castra metatus est. Præsidia verò in Sanioannensi prioratu (qui Valdensium vicus est inter Lusernam & Angruniam medius) locauit. Postero die manè, per nuntios Angrunijs signi-

significauit, ne se cum alijs bello commiscerẽt, quòd si fieret, mitius cum ipsis actum iri. Tota quidem præcedenti hebdomada illos ad hoc instigarat: illud autẽ indignum responso iudicarunt.

Eomet die quorundam ex alijs vallibus Ministrorum cum Angrunijs sententia & iudicio constitutum est & assensum, Religionẽ in posterum armis propugnandam, inutua latum iri auxilia, neminem nescio altero quicquam pacturum.

Appetente meridie, Triniteus iter cum exercitu Sanioanno fecit, vt Angruniorum confinia, nempe Sonelletam (vbi nuper præliatum erat) absque remora inuaderet. Munitiones quasdam populus ex lapidibus terráque tres tantùm pedes altas extruxerat: vnde inimicis à quibus diuersa ex parte impetebatur, inaudita virtute restitit. Illi verò quum ex copia militum pro fessis recentes ac integros inducerent, pugna ad noctem producta est. Eo die pedem hostis in fines Angruniorum non intulit. Ex illis conciderunt plerique, vulnerati complures. Ex Angrunijs duo solùm desiderati, sua culpa alter, quòd ab initio pugnæ cùm hostium duos trésve glandibus confodisset, deserta statione ad capien-

dam prædam ex muro descendisset: cùm sclopetis aliisque impedimentis oneratus esset, gemina glande percussus redibat, hostē à quo vulnus acceperat, proximum sibi interfecit: ei tandem vt mortiferè saucius erat, suis reddito ad biduum producta est vita.

Quieuit interim in diem veneris Februarij septimum exercitus, viresque quantas poterat maximas colligebat Triniteus. Ea igitur die primo diluculo quinis locis alijs ab aliis sat longè dissitis, itineri Angruniam versus se accingit exercitus. Angrunicus verò nondum collectus erat populus, quique ferrent impetum nulli fermè præter custodes erant. Hi ergo vt hostem per tot loca diffusum conspicantur, vbi per tempus aliquod strenuè dimicassent, nec ipsos lateret, se iam à copijs intercludi cæptos, neque etiam posse diutius eo in loco contra stare, gradum paulatim reflectunt ad sublimem quendam locum nomine Cassam, vbi atrocius quàm antea certamen incruduit. At verò Triniteus ingentem suorum cladem, ac præcipuè magni nominis aulicum quendam lætaliter vulneratum, fessos denique milites ad vnum omnes intuitus, signum receptui dari præcipit, inque Angrunicas domos

(à po-

(à populo qui in pratum Toreum tanquam Asylum aufugerat desertas) è vestigio descendit, ibique omnia diripi, vina effudi, reliquos verò cõmeatus ac bona quæ asportari nõ poterat, flammis omnino aboleri imperauit: adeò vt illa die & alijs etiam, ex Angrunicis ædibus, villis & casulis circiter mille (adde & alia permulta) flammis exarserint. Neque verò silentio prætereundum est, incensa quidem sæpius Angruniorum templa, in quibus conciones haberi solent, quæ vnquam tamen exuri nequiuerunt. Par idémque pastoris domui obtigit, quæ continuò integra perstat, contiguæ licet ab hoste in cineres redactæ fuerint. Angruniorum nullus eo in prælio trucidatus est. Vnus duntaxat vulnus in coxẽdice accepit. Angruniæ duo tãtùm erant verbo Dei immorigeri, q̃ militib. ea die obuiã facti, ab eis extra præliũ gladio trucidati sunt. Horũ alter ad rẽ attẽtior, prædiues quidẽ, auróq; & argẽto affluẽtissimus, verùm adeò sordidus & tenax, vt nec sibi nec ꝓpinquis egẽtibus opẽ ferret. Hæc omnia prædones cũ trecẽtis quos secum fugiẽs auferebat coronatis aureis, deprædantur. Eodẽ die reliquus populus in pratũ Toreũ secessit, cuius sitũ ad faciliorẽ sequẽtium intelligẽtiã paulò fusiùs explicare

iuuabit. Pratum igitur Toreum vallicula est ad Angruniæ confinia montibus vndique cincta, angusta admodum, longa ad duo milliaria Gallica. Habet in lateribus & medio ducentas ferè domunculas tuguriáque, agros, arbores, prata, pascua, & saluberrimos fontes. Ab austro ad aquilonem præ montium altitudine difficultatéque locus est inaccessus, ex altera verò parte septem vel octo locis aditus patet. Duorum milliarium interuallo nõ amplius ab Angrunia dirimitur: via propter geminum montem vtrinque præruptum, arcta admodum & horrida est. Est quoque flumen proximum, non aquosum quidem, sed difficili transitu, rupísque plerunque præruptis. Pauci illuc à populo commeatus propter viarum difficultatem, celeriorémque hostilis exercitus reditum delati sunt. Instauratum è vestigio pistrinum, aliúdque de integro constructum. Trinitensis interea duplici facto in Angrunios impetu incendiarios misit, qui Rosatum igne exurerent, diligentérque locos obseruarent per quos in vallem Lusernẽsem penetrare cum exercitu queat. Atque hac de causa milites aliquot per quatuor aut quinq; dies emisit, qui à custodibus perpetuò repulsi sunt. Totum denique exercitum amandauit,

cui

cui ſimuliter ijdẽ à primo diluculo ad noctem vſque obſtiterunt. Tum à Luſernenſibus auxilia venerunt, à quibus ſimul omnibus maxima vi certatum eſt. Flagrante conflictu inſidiatorum manus supernè præter omnem expectationem per loca ardua, ſalebroſa, præruptáque interuenit. Cùm viderent ergo miſeri ſe vndique ab hoſte circunſeptos, hi per hoſtes medios, per ſcopulos illi incolumes euaſerunt. Atque ita Roſato potitus hoſtis, quicquid repertum eſt, ferro flammáque perijt. Reliqui è populo abdita quadam via ſeſe clanculum in Luſernenſem vallem recepere. Tota nocte per montes niuoſos ſarcinis & infantulis onerati, maiuſculos prehenſa manu deducentes, non ſine ingenti moleſtia viam confecère. Hoc ſimul ac perceperunt vallicolæ, illis obuiã protinus occurrunt, Deúmque qui eos è manibus hoſtium eripuiſſet effuſis laudibus efferunt. Exiſtimabant enim in vniuerſum omnes gladio concidiſſe. Verùm enimuerò mirum vehementer afflictiſſimos homines tantáſque in anguſtias redactos, potuiſſe tamẽ multum hilarem animíque lætitiam præ ſe ferre abſq; lachrymis aut gemitu, niſi quòd infantes frigore torpidi ac prope enecti flebãt.

Paucis poſt diebus Trinitenſis in Luſer-

nensem vallem tribus meatibus irrupit, Rosato nimirum, pérque planitiem vbi stabat equitatus, cum aliqua peditum fossorúmque (qui illuc propter munitiones ex lignis ac niue congelata ibi raptim extructas adducti erãt,) copiarum pars tertia per Tailléreti (quod est in altera vallis parte) latera sibi introitũ fecit. Custodes initio fortiter pugnarũt, verùm irruẽtes in se vndique hostes vt viderũt, Villarium vsq; continuò pugnantes paulatim retrocedunt, vbi per aliquod tẽpus certatũ est. At quia planiciẽ equites iã prætermisisse cernebant, summáq; Villarij Bobiacũ versus obtinere, Villariũ (q pagus est in planicie amplissimus, muro tamen destitutus) deseruere. Illò ingressus hostis domos bona ex parte cõbussit, quotquot reperti sunt, quósq; in fuga cõsequutus est, gladio trucidauit. Qui in montiũ prærupta sese subduxerãt, suas ædes igne accensas cùm spectarẽt, vno ore omnes Deũ laudare & gratias agere, quòd dignos cẽsuisset eos q pro eius nomine & causa paterẽtur. Quid quod & eis gratũ erat hoc incendium, q vererẽtur ne illic hostes castra facerẽt. Montiũ iuga tum ascẽderũt milites, miserámq; plebẽ immani furore persequuti sunt. Verùm exiguus hominũ numerus, inuocato ex mutuis affectibus diuino

auxilio,

auxilio e,os Villarium vſque repulit,poſtea co pia receſſerunt. Aliquãto pòſt pratũ Toreũ tri plici parte qua vergit ad ortum inuaditur. Pugna acris & diuturna: cæterùm nõ ſine mul to hoſtiũ ſanguine,quippe quòd in ea q uãplurimi conciderint,cõplures vulnerati ſint. Ex Angrunijs nemo cæſus: duo quidẽ ſauciati,ſed continuò valetudini reſtituti. Quod verò tã exiguus ſauciatorũ numerus extiterit, cauſa eſt nimirum ꝙ ſe hoſtib. haud temere darent in conſpectũ,ac prædæ minimè auidi, ſeſe prudenter in ſuis præſidijs continerẽt. Siquis autẽ prælia,velitationes,irruptiones, & inſultus omnes quæ in Angrunia geſta ſunt cõmemo orare vellet, lõga ꝓfectò opus eſſet narratione. Quapropter memorabilia magis, & digna quæ omnib. innoteſcãt paucis attigiſſe ſat erit.

Sabbathi Febr. decimaquarta anno eodem, concione ac precibus de manè abſolutis, ex prati Torei æditiore loco verſus ædes Angrunicas hoſtis aſcẽdere,quodq; ædificiorũ ſupere rat,igne cremare cõſpicitur. Illos putabat popu lus vt ſe alliceret hoc ſtratagemate vti,quò tã dẽ pratũ ipsũ ex inſidijs ſubiret. Ad hos deſcẽ dere ſeni ſclopetarij iubẽtur, q paulò altius occulteq; cõſiſtentes, plũbeã quiſque glãdẽ eiacu lati ſunt. Quibus auditis milites illicò terga

vertêre, & tametsi nemo insequeretur, fugæ se dedêre. Astúne an præ timore id fieret, incertum erat. circiter horam pòst, prati custodiæ in montis cacumine excubias agentes, (quod singulis diebus vbi esset populus ibi cõcio haberetur, & illinc latè prospectus circunquaque diffunderetur) manum militum copiosam ea parte quæ Euro & Aquiloni interposita est gradientem aduerterunt: mox alteram rectà ad ipsos Septentrionem versus maturantem obseruant. Qui alios præuertebant, citius illis vnius horæ spatio accesserunt, cum eis in vertice montis Melesæ præliatũ est. sed in fugam protinus ab Angruniјs coniecti sunt, ac quod nequirent per niues, salebras, viarúmque asperitates festinationem adhibere, subinde humi cadebant. Verùm enimuerò cùm in fugam fortiter agi cœpissent, iámque è pugnis auulsum eis esset Tympanum, ecce aduenerunt qui cohortem alteram pratum subire denuntiant. Qua de causa confusos iam ac dißipatos vlterius insequi cessatum est. Certò asserebant qui cladi huic interfuerant, ni relatum esset in pratum ab alia cohorte iamiam irruptionem fieri, ne vnum quidem ex toto fugientium agmine elapsurum fuisse. Ex Angruniјs nec cæsus nec vulneratus quispiam.

cohors

cohors altera quæ Aquilonem versus iter faciebat, relicta via vbi à custodijs expectabatur, supremum cpit montis verticem, qui propter niues glaciésque omnino inaccessus videbatur. Huius autem cohortis primarij duces Ludouicus Montelius (qui antea castrorum regiorum metator fuerat) Carolus item Truchetus erant. Hi ad mõtis iugum cùm venissent, septem viros agiles strenuósque descendere iubent, vt quid viæ esset, militibúsne illinc facilis descensus pateret explorarẽt, qui profectò viriliter per tot anfractus proximè ad ædes in imo positas perruperunt, aliquot deinde manipulos emittunt qui depressiora montis culmina scopulósque occuparent. Ministri interea cum plebe è valle media isthæc magno cum stupore clarissimè intuẽtes, votis ardentibus cum fletibus suspiriisque Dominum Deum ad vesperum vsque deprecati sunt. Septem illi speculatores qui vias tentaturi descenderant, Trucheto occinunt, Descende, descende Domine Carole, hodie tota capta est Angrunia. alij contrà, Conscendite, conscendite rursum inquiunt, alioquin gladio trucidabimini omnes. Prodierunt viri quinque in hos insidiatores, qui eos in fugam egerunt, vnum ex illis prehẽderunt. Qui pri-

mus ex quinque in illos impetum fecit, duos ex illis furca ferrea in terram egit præcipites. Mox deinde in immensam hanc multitudinem insurgunt octo Angrunij. Mirum profectò quàm singulari illi audacia confidentiáque in tot ac tam barbaros superbósque Thrasones irruebant, quis non illos actutùm in frusta discerpenda putet? Verùm id diuinitùs accidit quod tam immani multitudine nequaquam territi, quin potiùs quasi noua virtute cælitus aucti tanta vi nixi sint. Hoc in ferocissimo prælio horum octo vnius inuicta virtus illustris enituit, qui conto formidabilis cæteris explorandi gratia longè præibat. Eum reliqui qui sclopetarij erant bini à tergo sequebãtur. Rupes arduas omnes, præruptáque montis cacumina singula perrumpebant, obuios hostes in fugam magno animo conijcientes. Paulo pòst accedunt alij duodecim, qui prioribus adiuncti, admirabili virtute pugnabant, præclaráque edebant facinora. Eadem ferè hora centum plus minus sclopetarij comitante eos pro more suo vno è Pastoribus qui preces funderet, & sanctis exhortationibus bellatores in officio contineret, ne modum excederent (vt eomet die contigit) ex Lusernensi valle adueniunt. Illi tãdem qui ex prioris cohortis atroci

clade

clade redibãt, magnũ tympano hostibus ablato tumultũ edentes cõspiciũtur, q se Lusernensibus adiũgũt. Inuocato igitur diuino numine ad opẽ ijs ferendã q magna vi certabãt, cursũ statim accelerãt. subsidiarios istos factis precibus, tã intrepidè in prœliũ gradiẽtes cõspicata manus hostilis territa fugit. Imò & ipso iã precũ tempore nõnulli terga dare cœperunt. Cùm verò nec euadere nec aufugere satis cõmodum esset, obuersa facie bis restiterunt, postea verò quibus licuit fuga sibi consulunt.

Angrunius ille qui conto cæteros præuertebat, iuuenis erat probus, ac nihil habens fuci, quem antea nihil scire præter agriculturã curámque pecudum existimasses. at in prœlio quãta pernicitate resultabat! Quanta dexteritate membra agitabat? Tantæ molis contum quãta vi contorquebat? Quanto furore hostes non secus ac lupus agnos in fugam agebat? Quot mulctata cõto corpora humi sternebat, tot iteratis ictibus contum tandem abrupit: quatuor etiam machæras hostibus ablatas hos percutiendo, illos cædendo ac prosternendo effregit. Adolescens quidam octodecim annorum ac breuis admodum staturæ, obuiam Mõtelio castrorũ metatori factus, eũ nemine defendente obtrũcauit, tãto horrore correpti,

adeóque etiam territi & animis fracti erant hostes. Vir quispiam simplex, quem neutiquã indicasses audere Truchetum in faciem solùm intueri (erat enim ille procero, obeso robustóque corpore, atque inter primarios totius exercitus ductores & præfectos habebatur) eum tamen saxo percussum humo prostrauit. Superueniens autem iuuenis quidam exiguæ staturæ, in Truchetum insiliens, ei proprium ensem (quatuor ferè digitos latum) abstulit, quo & illi caput abscidit. Erat hic Truchetus inter præcipuos tot scelerum bellique authores, omniúmque qui tum puriorem profitebantur religionem, ac præsertim Valdensium, hostis acerrimus. Illum aiunt ambitiosius gloriatum esse, ac Trinitensi pollicitum se illi pratum Toreum in manus ea die daturum. Sed breui Dominus hominis arrogantiam compescuit: & cùm acerrimus in diripiendis expilandísque Valdensium opibus fuisset, mercedis loco, nudus in supremis Angruniorum montibus iacuit. Duces hi pro sua vterque redemptione magnam vim auri offerebant, sed frustra. Horum copiæ ad lõgum miliare actæ sunt, vsque eò perterritæ, vt nemo esset qui contrà niteretur, quod ni nox interuenisset, vlterius eos Angrunij insequuti fuissent. Tantam cladem

initio

initio, fugámque hostium cõspicatus Minister, reuocato populo satis supérque sanguinis effusum pronuntiat, illos ad gratiarum actionem exhortatus, quod & ab ijs omnibus qui preces audiuerant præstitum est: ast alij qui remotiores erant, quàm vt Ministri exhortationem ac preces exaudirent, hostes ad noctem insequuti sunt, ex quibus perpauci euasissent, si simul omnes eorum tergo institissent. Delatus est eo die ex hostium spolijs in pratum magnus sclopetorum, caßidum aliorúmque armorum numerus, Tympana duo, machæræ, hastæ & spicula complura. Atque hac ratione Dominus hoc in conflictu & alijs, arma à Trinitensi ablata, Valdensibus abunde restituit. Hoc nomine Deo locis quibuslibet gratiæ actæ sunt, singulis clara voce dicentibus, Ecquis non videt Deum à nobis stare, ac pro nobis præliari? Valdensibus ingentes animos fecit hæc victoria: hostes verò terruit & obstupefecit.

Decima octaua Februarij Villarium Trinitensis repetiuit, cuius rabies cùm pagi illius incendio expleri non posset, vicos etiam huic annexos exußit, ac præsertim plebem quæ in montium cacuminibus latebat perquisiuit, quos in locos, vti prius, tribus vijs penetrauit.

trauit. Pars Rosato ingressa, per planiciem altera, tertia Taillereto. Simul cōuenerunt duæ priores qua parte planities inter Villarium & Bobiacum interiecta est, vbi multus erat equitatus. Illinc eos qui in mōtis Combani iugū secesserant vestigaturi, ea parte cōscendunt quæ nemini in mentem venerat, vbi etiā nullæ custodiæ erāt. Propiores tamen cùm eas illac ascendere viderent, obuiam properè occurrunt. Ac postquā ad Deum clamassent, inuocato illius subsidio, præliari incipiunt, illósque (tametsi triginta tātùm essent) bis tamen strenuè repulerūt, exeuntes è castellis suis, hoc est ædibus quibusdā, quæ ipsis præsidiorum loco erant, quanquā in eum vsum nequaquā essent extructæ. Duobus hisce conflictibus hostium desiderati permulti, è populo nullus. Cùm videret autem Trinitensis suos tanta vi repelli, bonā exercitus partem illis obuiam misit. Supplementum illud erat mille plus minus quingentorum hominum. Custodibus circiter centum homines in subsidium venerunt. Tū certamen valde furiosum & atrox extitit. Aduersarij tādem tāto impetu in miseros irruerunt, vt castella sua deserere coacti fuerint. Tunc ingenti gaudio perfusi hostes, tuba clāgere, omnium se potiri existimātes, ꝙ illi cum duorū

è suis

è ſuis iactura fugiſſent. Cùm verò ad iactum lapidis retroceſsiſſent animos receperunt, diuinum ſimul auxilium inuocãtes. Et quanquam amiſsis duobus è ſocijs ſummo (vt par erat) dolore eorum animi premerentur, præ ſe tamen aliud ferebãt, ne hoſtium lætitiã augerent. Seſe igitur mutuò vt forti quiſq; ſit animo exhortãtur, cùm inuictus animus ex victis plerumq; victores faciat. Conſtiterunt ergò bona ex parte aperto loco, crebris lapidum iactibus hoſtem verberãtes. Interquieſcit hoſtis, ſed cõtinuò pòſt magno furore prælium cum horribili tubarum ac tympanorũ ſonitu redintegrauit. Accidit tamen, Deo ita volente, vt tam multi à tam paucis ſtrenuè repulſi ſint.

Quieſcit rurſum inimicus. Populus interim verſa ad cœlum facie preces ad Dominum ardentiſsimas effundit: quod hoſtem magis quàm cætera perterruit. Bis denuò, vti prius, congrediuntur. Quos tãdem Dei auſpicijs exigua Valdenſium manus repreſsit. Tum pueri ſe animosè geſſerunt, Deum clara voce deprecãtes: denſis item lapidum iactibus hominum animos excitabant. Eidem ſtudio incumbebãt mulieres ac plebeij, hoc eſt qui nullo modo ad arma apti erant. Hi ſeſe in montium cacuminibus cõtinebant, cruentos hoſce cõflictus

intuētes, idque aduolutis humi genibus facie cœlum versus erecta, cum gemitu & lachrymis Dei opem implorantes, à quo etiam sunt exauditi. Post tres hosce furiosissimos congressus, interuenit nūtius qui sublata voce dicebat, Eia agedum macti virtute, Angrunios nobis in subsidium misit Dominus. his innuebat Angrunios apud Tailleretum præliari, quò copiarum tertia pars profecta erat. Cùm existimaret populus Angrunios sibi in subsidium venire, protinus occlamare cœpit, Benedictus Dominus Deus qui nobis suppetias misit: Adsunt adsunt nobis subsidio Angrunij. His auditis inimici, tantopere territi fuerunt, vt statim receptui cecinerint. Sese deinde in castella quæ vicerant receperunt, nec multò pòst in planitiem descenderunt. Quæ Tailleretum versus tendebant copiæ in tres cohortes sectæ erant, quarum prima ad latus montis incedens, domos plurimas inflammauit, ac postea sese potioribus copijs adiunxit. Quæ altiori via iter faciebat, altera populū imprudentem illac opprimendi occasionem venabatur. Erat hæc centum quadraginta militum quos magno suo dedecore nec sine iactura septem solùm magna cum dexteritate retruserunt. Supremum montis verticem tertia sibi persua-

persuadẽs interclusum populum vinci ac domari posse. Verùm sicuti Deo visum est, Angruniis latum suppetias ibant, in hos cùm incidissent, eos magna vi repulerunt.

Villarii, quorum facta est mentio, post sumptum panis vinique pauxillum (nam per totum illum diem nihil dum sibi pars magna cœperat) hostes vltra milliare ad obscurã vsque lucem persequuti sunt: atque adeò furiosè instabant, vt fuerit castrorum metator coactus Trinitensi (qui apud Turrinos erat) quã celerrimè significare, vt subsidium ad se mitteret, sin minus omnino actum esse. Paruit ille: sed audito prælii tumultu qui Sanioanni ab Angruniis fiebat, protinus conscenso equo (veritus ne via sibi intercluderetur) Lusernam se recepit. In summa, etsi in tempore auxilium aduenerit, non tamen sine improbo labore & clade maxima euadere exercitus potuit. Si vlterius eos insequuti fuissent Villarii, totam noctem (vt ducum quidam postea retulit) fugissent. Ex illo Lusernensem vallem haudquaquam reuiserunt. Omnis hostiũ eius diei præda quinque caprarum fuit, at trium equorum iacturam fecerunt.

Ratus Trinitensis neminem esse adeò valentem qui continua laboris & vigiliæ con-

tentione non tandem frangatur, nullam Angruniis quietem dandam censuit, hac igitur de causa, tum vt de illis vindictam sumeret, lunæ decima septima Martij subsequuti, copias omnes cum nobilibus, magnóque fossorum numero collegit. Quatuor aut ad summum quinque millium eius copiæ antea esse solebant, tunc autem pro comperto habebatur septem plus minus millia compleuisse. volebat enim barbarorum more multitudine magis quàm virtute vincere. Clanculum de nocte in mediam Angruniam diuertit, iam diu à miseris incolis derelictam, erátque illic pars exercitus tantùm. Postridie manè concione & precibus absolutis, in ora montis Angrunici qua spectat orientem, pars altera copiarum recognoscitur, etsi quid esset haud certò constaret. Paulò pòst illic fumi densissimi, alij deinceps in media Angrunia, vbi castra posuerat Trinitensis, conspiciuntur. His indicijs animaduersum est hostem duobus locis in propinquo esse. Statim etiam obseruatum ambas istas aciei partes aduentare, quæ obiectis lateribus incedentes, centum viginti passuum interuallo à se inuicem distabant. Vna mõtis fastigium, licet acuminatum, perpetuò tenebat, altera verò publica via, eaque de-

depreßiore, incedebat. Ex ordine pergebant ambæ, in longum multa stadia protensæ, arma inducto nitore micantia adeò fulgebant, vt tanto agmine prospecto, populus prima fronte obstupuerit. Cõfestim verò simul omnes ter quaterq́; prouolutis humi genibus Deum orabant suppliciter vt sacrosancti sui nominis rationem haberet, manus vtrinque ab effundendo sanguine contineret, hostiúmque animos ad sanctam suam veritatem conuerteret. Ambæ istæ aciei partes ad Toreum pratum quàm proximè accedunt, ibíque circiter horæ quadrantem interquiescunt. Postmodum tribus ab oriente locis centum viginti passus à se inuicem semotis, Angrunios aggrediũtur. Cohortium vna per arduas rupes iter faciebat, sperans hac ratione eos qui eius loci munitiones occupabant, facilè intercludi posse. medio consistens altera, viam regiam insistebat. Culmina montis tertia perpetuò occupabat, vt munitiones superne inuaderet. Qui propugnaculo infimo præerant, visa quæ in scopulis erat cohorte, stationem illico deserunt, vt illi rectà in occursum procedant. Euntibus illis, opportunè, ac tanquam è cœlo missum, obuiam factum est à Lusernensibus subsidium. Cõiunctim omnes hostẽ

acerrimè inuadunt, ſaxiſq; ac glãdibus plumbeis hac illac diſiectis, in fugam repente concitant. E rupibus autem, niſi magna cum ſuorum iactura (quòd loca prærupta eſſent, ad quæ niſi labore pluſquam Herculeo nec aſcenſus patet, nec deſcenſus) ſeſe eripere nequiuerunt. Dux turmæ primarius Sebaſtianus Vergilianus extitit, de cuius in rebus bellicis peritia & virtute magna erat opinio: huic ambæ coxæ glandibus transfixæ fuerunt. E diuerſorio autem cùm exiret minas atroces iactabat, magnáque & auditu horrenda ſe facturum gloriabatur: quibus auditis, hoſpita ſic eum alloquitur: Domine, ſi noſtra religio Valdenſi eſt purior palmam feretis, ſin minus, erepta eſt nobis de manibus victoria. Cui protinus in hoſpitium relato, grauiſsimè quidem vulnerato ac propè exanimi, Domine, inquit, iam patet Valdenſium religionem noſtra multò puriorem.

In medium quoque propugnaculum tunc factus eſt impetus, in quo pauci ſubſtiterant, qui tanta hoſtium mulitudine in ipſos irruente conſpecta, relicto propugnaculo longius paulò receſſerunt, in quo quinque ſolùm ad eius cuſtodiam conſtiterunt. A propugnaculo autem iactum ferè lapidis aberat ſaxum ingens,

ingens, sub quo magnus delitescebat hostium numerus. Inde primum duo ad arcem expugnandam prodierunt signiferi, quorum alter ad mortem saucius pedẽ retulit, alter vexillum pinnis propugnaculi fixerat. Illic non spicula, non hastilia, nulla denique arma præter hastam spiculo carentem aliqua refigendo vexillo supererãt. Vnus è quinque correpta hasta vel percutiebat, vel agebat præcipites quotquot supra arcem caput efferebant. Hostium permulti munitiones per ima subeuntes è quinque arcis propugnatoribus vnum interficiunt. Qui infernè prodibant ab vno illorum contortis lapidibus reiiciuntur. Tres reliqui abiectis sclopetis in hostem saxa grandiora contorquent. Interea turmam quæ in rupibus erat terga vertẽtem aduertunt. Quæ res eis ingentes animos fecit. Summa autem virtute aduersarijs omnibus obsistebant, donec socij ab ea insequutione quæ in primam cohortem fiebat, regrederentur. Propugnaculũ interim illud quod in montis cacumine situm erat, dimidia pars exercitus acerrimè oppugnat. Ast illi priusquam glandes vllas eiacularẽtur, aliquáue ratione propugnent, eos accedere quam proximè sinunt, quod non parum mirabatur hostis: vbi verò se propius

admouerunt, irruentes ſimul vniuerſi, lapides hi contorquere, ſaxa ingentia voluere, alij, ſclopetarij mira virtute præliari. Saxum immane, quod per hoſtes medios rotatum, vorticoſi inſtar turbinis obuia quæque proſternatis ferebatur, illos valde perterruit, quoſdam etiam de medio ſuſtulit. Caſam quæ infra propugnacula erat, adepti milites, aliquot, ijs qui propugnaculis ſtabant, magno erant nocumento. Verùm boni cuiuſdam inter eos viri induſtria factum eſt, vt rupe ingenti rectà in mediam caſam volutata, illius paries ita fuerit concuſſus, vt præ metu exanimati penè milites illico aufugerint, neque vnquam poſtea illuc redierint.

Munimenta quædam è lignis, quinque pedes longa, tres lata, ac trium aſſerum denſitate milites attulerant. Sclopetarij verò tanto vndique impetu in illos irruunt, vt concitati in fugam, ea ibi deſerere cogerentur. Alia foſſores ex terra tegēdis militibus parabant. Grauis adeò fuit vtrinque conflictus, vt cum luce finem ceperit. Omnis autem hoſtium potentia, cunctáque eorum ſtratagemata non impedierunt quominus telis, armis, ſanguine, cadaueribus in aceruum extructis, cōſtrata omnia forēt: hoſtium quatuor, glādibus duabus percuſſi

cußi conciderunt. Pro certo habebatur, glandē sclopetariam tam propè ad Trinitei caput acceßisse, vt in manibus illi virgam effregerit, eúmque plus sexaginta passus retrorsum abire compulerit. Tantam verò suorum vbique stragem, necnon vulneratorum frequētiam cùm cerneret, horum dolori, illorum morti effusè illachrymasse fertur. Quod ex acie reliquum erat, sub noctem recedere iubet. Nihil autem magis eo die quàm prati expugnationem sperabat: qua minimè succedente castra in proximum metari decreuerat, vt in crastinum prima luce pugna redintegraretur, qua de re plurimum commeatus eò conuehendum curarat. Eò etiam pars multa Nobilium, cum quibusdam belli insolentibus & ignaris, omnimodæ Valdensium cladis spectandæ gratia conuenerant. Quinetiam planiciem incolentes in horas infelices de miserabili integróque illorum excidio nuntios expectabant. Longè verò secus, æterna Dei cuncta disponentis prouidentia, accidit. Trinitensi quippe cum suis effugij locus, nisi magno cum molimine haudquaquam patuit. Cumq; insidias, quas alijs moliti erāt, in suum caput recidisse viderēt, nihil dubium quin valde perculsi fuerint: Planitiei itidem cultores

cùm à meridie ad occiduum solem, tum interfectorum tum vulneratorum cadaueribus plaustra referta indesinenter aduehi intuerentur, obstupefacti sunt: etiamsi non omnes occisos exportarint, quòd multos ad propugnacula reliquissent, quos postridie Valdeses sepulturæ mandarunt. Cùm & ipsi milites Angrunijs ingenuè confessi sunt, si modò acrius eos insequuti fuissent, omnino de ipsis actum, adeò fessi, animóque cõsternati erant, quinimò bona ex parte saucij erant, cæteri occisos exportantibus. Quod eo die Valdenses hostium tergo, dum ita fessi vulneratique aufugerent, haudquaquam institissent, absurdum plerisque visum est: imò id ipsum non poterant non admirari milites, cùm à populo tanta clades illata fuisset. Id verò duabus potissimùm de causis factum est, tum quòd constitutum in prato ratúmque fuerat, aciem recedentem minimè persequendam vt nimirum quantum fieri posset è fundendo sanguine abstineretur, satis superque videri si pugnaretur in ipso congressu. Deinde, quòd continua laboris & vigiliæ contentione defessi essent, ac puluerem tormentarium penè omnem insumpsissent. Siquidem triginta eorum nonnulli glandes emiserant, alij viginti vt minimum.

minimum. Ex acie permulti cùm ſeſe reciperent, liberè claráque voce enuntiabant, Deum Valdenſium nomine belligerari, nos verò (addebant) immerentibus iniuriam facimus. Poſtridie è primariis Ducibus quiſpiam cohortis ſuæ reliquias Trinitenſi reſtituit, pernegans ſe vnquam huic bello interfuturum, ſtatímque exceſſit.

Mirum verò, & pereñi memoria dignum, ꝙ ex toto populo nulli eo die, duobus exceptis, deſiderati ſint, nemo item vulneratus præter duos leuiter admodum ſaucios, qui ſtatim cõualuerunt. Vbique locorum apud Pedemontanos occinebatur ab omnibus: Deus à partib. Valdenſium ſtat. Dux quidam liberè protulit ſe permultis congreſſibus ac præliis interfuiſſe, nunquam verò animo abiectiore milites expertum, quàm vbi eſſet cum hoc infœlici populo congrediendum. Addebant milites ſe admiratione duci, quòd neminem illorum poſſent percutere, cùm illi contrà ne globulum quidem fruſtra mitterent: quotquot verò ab ipſis vulnerarentur, ferè omnes mortem oppeterunt. Aſſerebant alii milites Eccleſiaſtarum precibus faſcinari, atque hac de cauſa ad pugnam vt par erat, non ita expeditos eſſe. Hic proculdubiò quod miremur, iuſtáque Dei

iudicia cõtemplemur attoniti, vel non aduertentibus occurrit. Cùm in tot prælijs & conflictibus vbi innumeræ glandes è sclopetis in populum emissæ, nihil nisi aerẽ verberarint. Tot enim velitationibus, prælijs & conflictibus apud Angrunios initis, nulli præter Angrunios nouem, & Tailleretinis vnum, è Sanioanninis duos, & alterum ex valle, è Fenestellis Pragellensium vnum, conciderunt, qui simul omnes numero erant quatuordecim. Tametsi numero perquàm exiguo præ multitudine tanta forent: rustici quippe ac bubulci, lapidibus tantùm ac fundis bona ex parte instructi, in elegantes gloriosósque Thrasones tot armis rutilantibus, ac igniuomis machinis munitos.

Martij nona, Angruniæ paratur acris admodum concertatio, tribus illic properãtibus militum turmis, vt quod reliquum erat, flãmis omnino perderẽt, vinique si quid repertum, penitus effunderẽt. In communibus suis colloquijs milites, hoc inter alia per ludibriũ effutiebant, Barbatuli isti Lutherani Valdẽses apud propugnacula sua fortes & strenues agũt bellatores, quòd si præliari cum ipsis semel nobis in plano cõtigisset, Deum immortalẽ quot quantiq́; plagis ac vulneribus eos onerassemus?

mus? Accidit autem vt ex Valdēsibus triginta plus minus, elegātes hasce superbásque copias quæ tam insolēter gloriabātur, æquo quidē & plano loco adorirentur, ibique diu cominus pugnatum sit, adeò acriter, vt nōnulli consertis manibus conflixerint. Angruniorum quispiam cum duce quodam robusto quidem fortíque luctatus est, quem è vestigio humi prostrauit, eíque pileum abstulit. Vulnerati sunt militum plerique, interfecti aliquot. Ex Angruniјs vnus tantùm concidit, alter leuiter saucius, qui nihilominus indesinenter ac strenuè dimicauit. Conspecta milites suorum clade, citò recedunt.

Eomet tempore Trinitēsis duos ex Lusernensi valle nobiles ad Angrunios tentatum ablegauit, essêntne animum ad aliquam conciliationem inclinaturi. Quibus illi, se primæ responsioni ita inhærere, vt ab ea nunquam dimoueri queant: ex illo frequentiores nuntios emittebat, qui de compositione agerent: sed quorsum, nouit Dominus. Nam quo tempore putabatur aliqua pacis iacta esse fundamenta, tum maior impetus fiebat. Inter hæc dictus est dies apud Lusernenses, quo cum Raconianis (publica iam fide data & concessa) de compositione ageretur.

Angruniorum cum Pastoribus Syndici, manè per intermedium montem iter facturi erant: nocte verò animaduersa est militum turma, quæ in montem delata, in ædibus quibusdam viæ contiguis sese abdiderat, autumans hac militari astutia incautos Angruniorum primates oppressum iri. Illi verò hac de re multos per nuntios certiores facti, se in viam non dederunt.

Consilia sæpe cum Lusernensibus Angrunij contulerunt, iurène liceret nocte intempesta Triniteum apud Lusernenses intercipere, milites omnes in fugam agere, copias item vbicunque castra fecissent per noctem incautas opprimere, atque id quidem multis tam in procliui quàm imber est, quando pluit, esse videbatur. Sed quia Diuinæ maiestatis læsionem, aut suæ vocationis metam exilire verebantur, ab incœpto destiterunt.

Ea temporis intercapedine graui admodum ac miserabili casu affecti sunt Angrunij. Nam Dominus Raconius (cui bellum hoc omnino displicere videbatur) probum quendam virum Briqueratem, Franciscũ Gilleum nomine ad eos amandauerat, vt pacis conciliandæ ratio aliqua vtrinque iniri posset. Diutius autẽ agitatis vltro citròque cõsilijs, vir bonus

eo ipso

eo ipſo veſpere(præter Syndicorum Miniſtrorúmque ſentẽtiam) ad ſuos reuerti conſtituit, cùm ſua functionis rationem illa die Raconio redendam aſſereret. Cùm in depreßiorem Angruniæ partem deueniſſet, in duos ex Angrunijs viros (alioquin in ſpeciem probos & honeſta familia natos (incidit, à quibus eſt interfectus. De hac cæde populus neſcio quid manè ſubolfecit. Idcirco mißi ſunt q̨ rei veritatem indagarent. Corpus exanime repertum piè honeſtéque nuntij in templo Angrunico humarunt. Horum carnificum alter appetente meridie cùm in pratum Toreum veniſſet, acſi lupus eſſet rabidus, certatim in eum tanto etiam tùm clamore ac tumultu concurſum eſt, vt pratum ſubijſſe hoſtes putarentur. Captus tandem conſtringitur, & in cuſtodiam tradunt, móxque facinus confitetur. De altero mißi ſunt Angruniam qui equis velíſque hominem perueſtigarent, ſtatímque adductus eſt. Ex Angrunijs imò vniuerſo populo Valdenſi nemo repertus eſt qui non mirum in modum hoc impio facinore commoueretur. Conuocato itaque cõcilio, poſtquam ſe coram Deo ſupplices cum fletibus & lachrymis abieciſſent, vt non ipſis è medio ſublati ſanguis imputaretur, vno animo omnes rem totam

(vtut erat) datósque in custodiam maleficos, Raconio per literas significant, simúlque flagitant vt quosdam mitteret qui in factum inquirerent. Se verò de illis eas pœnas quibus digni essent, summo iure sumpturos, vt ita cuiuis sua pateat innocentia. At sontes ad se mitti iubet Raconius, vt in illos pro meritis animaduertat, addens eadem opera Angrunios suam prodituros integritatem. His responsum, captiuos ei in manus sub tribus conditionibus datum iri. Primùm, nequid illi præter conscientiam agere cogantur, néve quid eis, quoad religionem, à sincero Dei verbo alienum proponatur. Deinde vt secundum ius fásque ac propediem in eos animaduertatur: ac nequid in posterum hac ratione de Angruniorum libertate detrahatur. Postremò, vt ad Angruniæ confinia, vt aliis exemplo sint, supremo afficiantur supplicio. His itaque vltrò citróque ita constitutis, omnium consensu (nemine etiam ex captiuorum consanguineis obsistente) diligenter astricti sontes, ac per sexaginta plus minus sclopetarios ad Lusernensium fines vsque deducti, Raconiis traduntur. Magno honori summæq; laudi Angruniis datum est egregium hoc facinus, adeò vt ferretur Ducem ipsum cum toto Senatu

natu

natu non mediocriter hac de re commotum.

Ex illo Triniteus positis circum Angruniã & Lusernam præsidijs, Perusam Sanmartineæ valli propinquam se recipit, nimirum vt præsidiarijs ea in valle positis, qui in summo erãt periculo, suppetias ferret: illícque circiter mẽsem commoratus est. Angrunij interea & Lusernenses paulò quietius egerunt. Sed magna cibariorum penuria, Angrunij præsertim, (quibus surreptus erat commeatus) laborarunt. Lacticinijs interim herbis & modico pane vescebantur: carnis autem penuria non ita laborabant. Sed quo tempore sibi à fame timebant, tum Dei benignitate factum est vt panis & triticum multo quàm antea facilius pararentur. Fame expugnatum iri pratum sibi hostes persuaserant. Qua de causa cibaria omnia circunquaque sustulerant, subtrahíque mandauerant. In diem Angruniorum vicini parcéque admodum, ne esset vnde miseris succurreretur, victitare cogebantur.

E Perusina valle Lusernam reuersus Trinitẽsis, quosdam qui de pace comiter agerent mittit: ipse verò nonnullos è populo couenire expetebat. Tum demum firmæ stabilisq; concordiæ rationes seriò excogitari cœperunt.

Verùm lunæ Aprilis decima ſeptima ſublucano tempore, Hiſpanas quas habebat cohortes cum Turrenſi præſidio in montem Tailleretinum ea via qua ad meridiē verſus in pratum tenditur, amandauit. Hi viros ac mulieres imò infantes Tailleretinos in cubilibus adhuc iacentes, gladio peremerunt. Illinc prati Torei montem penitius ſubierunt. Obſeruantur pariter duæ numeroſæ turmæ per Angrunios fines, ſuperiori vna, inferiori parte altera, vt in pratum irruerent, iter facientes. Manè ſub auroram cùm iam Hiſpani populo vidente ingrederentur, Buccinæ ſignum datum eſt. Habitis precibus, hoſtibus obuiam itum eſt ab omnibus, his ad orientem ſolem, illis ad auſtrum citatim contendentibus. Qui in Hiſpanos propugnacula iam prætergreſſos primi inciderunt, haud plures erant duodecim, cum alijs paucis qui altius aliquanto voluendis contorquendiſque lapidibus aſcenderant. Nacti locum duodecim iſti coercendis Hiſpanorum cohortibus accōmodatum, glandes plumbeas eiaculari cœperunt. Hiſpani autem ſe ſurſum deorſúmque impugnari conſpicati, vnde venerant quam celerrimè regredi tentant. Si vel tantillum cunctati eſſent, intra geminum montem, iiſque in anguſtijs

coarctati

coarctati fuiſſet, vnde nemini ſaluo vnquam licuiſſet euadere. Illos populus vſque ad caſtra quæ apud Turrinos erant cædendo fugauit. Inter fugiendum ſicubi munitiora loca occurrerent, ibi aliquantulum pugnabatur, verùm illinc non ſine ingẽti ſuorum iactura & vulneratorum numero perpetuò exacti ſunt. Mandauit per nuntios Triniteus vt fortiter pugnarent, vt qui mox ſubſidium eſſet miſſurus, ſed fruſtra. Angrunijs non procul à Turri ſubſidio Luſernenſes venerunt: quo loco propiúſne vrgendi eſſent hoſtes, atque è ſuis caſtris propellendi initum eſt conſilium. Fuerũt in ea ſententia nonnulli. Sed quia ſol iam medium cœlum prætermiſerat, necdum quiſquã illorum eo die cibum cœperat, laboraſſent autem plurimũ: tum quod abſque hominũ iactura id fieri non poſſet, incœpto deſtiterunt. Dicebant Angrunij ſe ſumpta panis bucella, hauſtóque vini poculo, in hoſtium caſtra facilè irrumpere potuiſſe. In eo congreſſu præter alios complures perijt quidam, cuius obitum Triniteus adeò grauiter tulit, vt affirmaret ſe malle integræ cohortis, quàm illius iacturam feciſſe. Turmæ reliquæ per agrum Angrunicum iter facientes, cùm viderent Hiſpanos tot acceptis plagis terga

vertere, Angrunios quoque vt ipsos adorirentur iamiam adproperare, pedem & ipsi confestim referunt. Tum subitò Triniteus Cauortium (quod duobus milliaribus à Luserna distat) properè se contulit. Aßerebant eum nonnulli præ metu sese in fugam coniecisse, cúmque Hispanis subsidium pararet, circa Lusernam tympanũ audiuisse, vnde coniiceret integras Valdensium copias aduentare. E militibus aliquot qui per planitiem eruperant, actum esse vociferabantur. Pro certo habebatur exercitum eo die Lusernensi populo extremum vale dicturum si fugientium tergo acrius institissent Angrunij.

Post aliquot dies resciuerunt Angrunij hostibus decretum, suas ipsorũ segetes, arbores & vineta deuastare: dein arces duas apud Anguniam extruere, qua de re Triniteus iam ad ipsos literas dederat. Ad quod conficiendum die lunæ sub diluculum conuenire iubẽtur milites. Briquerati stabãt equites, qui vt consiliũ hoc exequi inciperẽt rectà Sanionnẽ proficiscuntur. Expectabatur pugna acris & cruenta, ni Deus suorum, quos nunquã obliuiscitur, vota benignus exaudisset. Nam Die Dominico sub vesperã literas accepit Triniteus, quibus nefariũ hoc dißipatũ est cõsilium.

Admo-

Admoniti autem Angrunij tormenta bellica ad deiicienda propugnacula lapidea aduehi, alia è cepitibus fasciculis ligneis interſectis ambitu quingentorũ ferè paſſuum quæ Luſer nenſiũ aſpectui facilè patebant, extruxerũt. Angruniorum nõnulli quibuſdã è Trinitarijs certò aſſerunt machinas murales ſiquidem adueherẽtur, haudquaquam tam citò ac putarent reuehendas. Qua de cauſa mox reduci iubentur. Circa id tempus Ranconium ſubmiſſè flagitarunt Syndici ſimul ac Miniſtri, vt libellum ſupplicem quem ediderant, Duciſſæ Sabaudiæ (cui perſecutionem hanc, bellúmq; ferox & cruẽtũ quod cũ ſubditis gerebatur, moleſtiſſimũ eſſe audierant) reddendum curaret. Hocce ſupplici libello Sereniſſimæ ſuæ Dominæ ac principi animo ſubmiſſo cauſæ ſuæ æquitatem exponebant. Deinde obedientiam cui ſeſe perpetuò ſubdiderant & ſubderent adhuc, & quam Duci ſupremo ſuo Principi ac Domino debebãt, promittebãt ad extremum vſque ſpiritum exhibituros. Se inſuper ad retractationẽ paratiſſimos quotieſcunque puro Dei verbo erroris alicuius reipſa conuinci poſſent. Flagitabant ad extremũ, vt Principis ac Domini ſui animũ aduer ſariorũ criminationib. tãtopere in ipſos con-

intelligeret quantum duræ, acerbæ, insolētésq; essent eiusmodi conditiones. Quod autem ad ipsos attinet, etsi pastores suos probißimos syncero Dei timore præditos, vitæ inculpatæ homines esse diuturno continuóq; experimēto didicisset, si tamen aliquos Dux dimittere vellet, per ipsos licere, modò liberum esse (quod etiam suppliciter rogabant) alios antequā hi discederēt in eorum locū accersere, ne Ecclesiæ ipsorum Pastoribus destitutæ, lupis deuorandæ exponerentur. De Missa autem aliisq; Romanæ Ecclesiæ ceremoniis admittēdis, si istud in animum induxit Princeps vt in suis Parœcijs exerceantur obluctari nec posse nec velle: ne qua item contumelia, probro damnóue afficiantur illorum ministerio aut communicationi vacantes adhibitum iri cautionem. Rogare autē ne aut ipsi interesse, aut in earum gratiam sumptus vllos facere, néue fauere aut assentiri cogantur. captiuorum redemptionem viribus suis infinitis partibus maiorem facilè constabit, si extrema qua premuntur egestatis, quāsque passi sunt calamitatū & damnorum ratio habeatur. Considerentur vt par est, tot ipsis illatæ direptiones, rapinæ & inuiolationes, quod si fiat, certè tantum aberit vt eorum humeris tan-

tum onus imponat, vt potius tanquam Princeps pius, clemensque ac misericors dominus, abundè illis suppeditaturus sit vnde suos alant liberos, quos in Dei cultum & honorem suique Principis obsequium educabunt. Potius igitur imperabit miseros captiuos quique ad triremes religionis ergô tracti sunt, solui & immunes remitti. Cœtus sacros quod attinet, verbiq; conciones nihil causæ dicere quominus assuetis inter se tantum aliisque valliũ locis habeãtur, vbi fidelium sinceram Euangelij prædicationem flagitantium grex aliquis fuerit. Quoniam verò ab arcibus tunc integris adhuc tam in suis bonis & vita quàm in religionis causa tot antea cruciatibus, molestijs ac vulneribus cõfecti essent, vereri plurimum ne si noua construãtur, id ipsis multarum miseriarum grauiúmq; tumultuũ causa sit. Supplicare igitur tantum efficiat vt in sui gratiam eos Dux arcium loco acceptos habeat. Cúmque loci natura sua abunde muniti sint, si eius animo libitum fuerit eos in suam fidem clientelámque recipere, non dubium esse quin adiuuãte Deo, ipsi murorũ arciúmque loca sint futuri. Quapropter nil necesse esse in posterum huiusmodi propugnacula ædificare. Quoniam verò eis ex vici-

vicinis plerique non solùm supellectilem omniáque vasa domestica diripuerāt, verùm etiam greges & armenta abduxerant, saltem liceat ipsis quantum iura permittunt illa recipere, & diuendita à militibus eodem pretio quo emptoribus tradita sunt redimere. Caterùm vt pro sua benignitate ipsorum libertatem, immunitates ac priuilegia omnia tam generalia quàm particularia, quæ vel ab eius maioribus vel ab ipso eis concessa traditáque fuere: illa itidē quæ vel ipsorum maiores vel ipsimet à suis dominis bona fide compararunt, confirmare: eos etiam ceu omnium suorū subditorū demisissimos, obsequētissimósq; in suam fidem ac clientelā recipere dignetur. Verùm enimuerò cùm tantū absit, vt antea breui ex æquo & bono ac secundum leges absoluerentur iurisdictiones, dirimerenturque lites, vt nefas omne potius per eos vigeret qui Reipub. in vallibus gubernacula tenebāt, citiúsque per crumenæ inanitionem, quàm pro meritis scelerati punirentur: pro sua prudentia caueret ac prouideret in posterum, vt iustitia inter eos ita floreat, tam sanctè rigidéque retineatur, vt summo iure animaduertatur in flagitiosos, boni verò iure suo gaudeant, atque in eo illæsi

conſeruentur. Et quia tandem è populo non pauci, ad exercitus aduentum territi, non opum modò direptionem, verùm ne ipſimet cum vxoribus & liberis ad vnum omnes occidione perirẽt veriti, præter animi ſententiam ſe ad Romani Pontificis nutum ac voluntatem victuros fidem dederant, cuius facti conſcientia illorum animos vehementer anxios & conturbatos haberet, quibus moleſtiis conſtricti perpetuò languore conficerentur, à ſereniſſima Domina obnixè petebant, vt eorum deterrimæ conditionis miſerta id obtineret, nequid in religionis cauſa præter conſcientiam admittere vel aggredi cogerentur. Hoc addebant, vt eius beneficio eis ſalua quietáque conſcientia vitam agere liberum eſſet: in ſumma vt captiuis omnibus qui religionis ergò proſcripti eſſent, domos repetendi fierent poteſtas: atque adeò bonorum publicationes pœnæ mulctæque omnes omnium irritæ fierent. Quoad ſe attinet polliceri ſe omni honore, cultu & reuerentia Deum ad verbi eius præſcriptum pſequuturos. Duci verò Principi ac Domino ſuo omniũ, quotquot illius ſubiiciuntur imperio, fideliſſimos fore ſimul ac obſequẽtiſſimos. In calce autem huius libelli ſupplicis adſcriptum

adſcriptum erat, Tibi deditiſſimi & ad omnia paratiſſimi ſubditi vallis Luſernenſis, Angrunicæ, Sanmartineæ, Peruſinæ habitatores, omníſque in genere apud Pedemontanos agens Valdẽſium populus. *Viſa hac à Domina poſtulatione, tantum præſtitit vt ei reſponſa darentur, & iuxta conditiones ſubſequenti capite declaratas concederetur.*

CONVENTIONES

& pacta quædam inter Generoſum Dominum Ranconium Principis nomine & Pedemontanarum vallium incolas Ualdenſes nominatos, tranſacta & rata.

EX Principis mãdato diplomata conficientur, quibus vallium Angrunicæ, Bobiacę, Villarinę, vallis Guichardi, Roratinæ, Tailleretinæ, Ruatibonetii in Turrenſi confinio, Sanmartineę, Peruſæ, Roccapiatanę, Bartholomei incolis, ac cæteris qui ſubſidio illis fuerunt, remitti cõdonaríque omnes quas com-

miserunt offensas palàm fiet. Præsertim verò quòd tam in ipsius celsitudinem, tum etiam in priuatos nobiles, quos in suam fidem ac cliẽtelam recepit, arma cœperint. Angruniis deinceps, Bobiacis, Villarinis, Guichardinis, Roratinis, (vallis Lusernæ membris) Roderetinis item, Marcellinis, Maneillanis, Salsanis (vallis Martinęç membris) cœtus agere, aliisque religionis suæ exercitiis locis consuetis frui, liberum fore idipsum Villario (Lusernæ membro) tantisper concessum iri, dum eius celsitudini illic moliri arcem visum erit. Extructa verò arce nec concionibus nec cœtibus toto illo circuitu locus erit. Poterũt quidem alicubi haud procul appositum ad hoc locum aliquem Bobiacum versus extruere. Neque tamen Pastoribus nefas erit, morbis eo tractu laborantes inuisere, aliáque suæ religionis quæ necessaria sunt munia obire: modò ne illic cœtus conuocentur, aut habeantur conciones. Tailleratinis & Ruatinis in Turrensi confinio iacentibus, concionari & cœtus vocare fas erit, iis tantũ locis quibus id antehac solẽne fuit, ea tamẽ lege
ne

ne id in reliquo Turrensi cõfinio fiat. Iis qui Lusernensibus ac Sanmartineis vicini sunt ac paulò ante denominati, cautio erit ne reliquos illorũ fines Principísue ditionẽ subeant, néue ad conciones, cœtus, ac disputationes habẽdas præscriptos limites transgrediãtur, cũ id sibi in suis tãtùm cõfiniis liceat. Quod si fortè rogẽtur de sua fide, illis absq́ue pœna vel bonorũ vel capitis liberũ erit respõdere. Eadem libertate Perusini fruentur qui nunc religionis causa ab ædibus suis exulant, quiq. cœtus conuocare & verbi promulgatione aliisq́ue suę religionis exercitiis quodam in loco, cui Puteus nomẽ, vti solebant: sed ita vt cæteros huius parœciæ locos aut confinia ad id non subeant. Pinachianis qui sunt in valle Perusina, quíque hodie religionis ergô patria exulãt, necnõ ad cõciones, cœtus aliáque religionis suæ exercitia cõuenire solebant, eodem iure vti licebit: modò eo tantum loco, cui Grandubionum nomen, illud fiat. Sangermanis qui sunt ex valle Perusina, Roccapiateis item, qui ob religionem in qua etiamnum persistunt, profugerunt: fiet potestas habendi

paſtorem, qui alternis diebus apud Sangermanum loco cui nomen Landormileſium, modò apud Roccapiatam loco, cui nomen Vandinum concionari poterit. Oppidanis ſimul ac ruſticis vallium harum vniuerſis, qui nunc propter religionē in qua etiam conſtanter perſeuerant, exulant, indultum eſt (nihil etiam obſtantibus promiſſis quibuſcunque, ſiue abiurationibus alienis à ſua religione ante hoc bellum præſtitis) in ſuā cuique familiam reuerti, ad ſuæ religionis calculum vitam degere, in concionibus ac cœtibus, qui præfixis locis à Miniſtris fient, frequentes eſſe modò ſuperiora ad amuſſim obſeruent. Quoniam verò harum vrbium ac pagorum plerique, extra euangelicę prædicationis terminos agunt, qui morbo laborantes viſitatione atque id genus aliis religionis exercitiis indigent, eorum Miniſtris intra deſignatos limites habitantibus, illos inuiſere rebúſque omnibus ad ſalutem neceſſariis iuuare nullo eorum detrimento licebit, modò ne conciones habeant, aut cœtus ſuſpectos conuocēt. Singulari autem gratia Meaneis omnibus

bus ac Sãbartholomeis Roccapiatæ vicinis, qui profugerũt quidẽ, religionem verò nihilominus retinent , libertate proximè præcedenti capite concessa frui liberum erit: ea tamen lege, vt ea omnia quæ alii se seruaturos promiserunt diligenter & ipsi obseruẽt. His inquam vallicolis omnibus ac extorribus, qui tamen religionem perpetuò amplexantur,tam vallium ipsarum,quam roccapiatæ,Bartholomei, Meánæq.incolis, bona iam publicata,(modò ne ob aliam quàm religionis belliq̃ue confecti caussam id acciderit)restituentur. His pariter omnibus tam pecudes quàm suppellectilia iuris legúmque subsidio à vicinis(militibus exceptis) recuperare licebit.Et quæ distracta comperiẽtur, eadẽ quoque via,sed restituto pretio redimi poterunt : quod item & vicinis in eos permittetur. His inquam libertates singulæ,immunitates,priuilegiáque tã generalia quàm particularia cùm ab eius celsitudinis maioribus,tum ab ipsomet concessa, vel à priuatis Dominis impetrata,firmabuntur, modò de iis documento authentico fidem faciant. Vallibus

bus iſtis præficientur æqui Magiſtratus, qui recta & vtilia, & ſanctis legibus conuenientia præſcribant, quíq. ex ęquo & bono iudicẽt, vt inde ſe in eius celſitudinis fidẽ & cliẽtelã nõ ſecus ac reliquos ſubditos recipi intelligant. Tenebuntur autẽ hi valliũ incolæ, vallicolarũ omniũ qui fugã religionis cauſa ceperũt, tã eorũ qui ſeſe periurio aſtrinxerũt, q̃ aliorũ cathalogũ cõficere, vt in bonorum ſuorũ familiarúmque poſſeſſione reſtitui conſeruaríque, necnon Principis Dominíque ſui fauore ac beneficio frui poſſint. Et quanquam nemini ignotum ſit penes Principem eſſe, intra ditionis ſuæ terminos arces ad arbitrium extruere, cui etiam contradici à nemine queat: vt tamen omnem ab animo ſuo ſuſpicionẽ Valdenſes amoueãt, ſi poſt exactũ aliquot temporis ſpatiũ, ſuæ celſitudini libitum fuerit Villarii propugnaculum ædificare, notũ ſit omnibus eius loci habitatores ad ſuggerẽdos ſumptus minimè cõpellendos: niſi fortè ipſis vltro ac ſpõtè ſuo principi operã præbere viſum fuerit. Huic aũt ꝓpugnaculo exædificato, præerit præfectus, cuius partes erunt Principis celſitudini fideliter inſeruire,

ita tamen vt incolarũ vel bonis vel con
ſciẽtiis,nihil nec detrimẽti,necmoleſtię
inferat. At priuſquã Miniſtros(qui Prin
cipis celſitudini reiiciendi videbuntur)
illi dimittant,alios in eorũ loco acceerſe
re illis liberũ erit, modò ne Magiſtrum
MartinũPragelenſem ſibi deligãt.dimiſ
ſis verò vſquã in his vallibus Eccleſiarũ
curã gerere licebit. Vbicunq.locorum
his in vallibus concionari & cœtus agi-
tare aliáque huius religionis munia obi-
re licebit:illic itidem Miſſæ,& alij vſita-
to Romanis more ritus ac ceremoniæ
celebrabuntur: ſed ea lege vt ipſi neque
eò conuenirę,neque intereſſe, aut cere-
monias eiuſmodi celebrãtes fauore vel
auxilio iuuare cogantur.Nec vlla etiam
ratione interturbabuntur ij, quib.eò li-
bitũ erit accedere.Ex Principis indulto
illis etiã remittũtur impẽſę omnes quas
in huius belli gratiã fecit. Octo itẽ coro
natorũ millia à ſedecĩ millib.quę bello
antehac confecto pacti erãt reliqua, ac-
cepta eis feruntur:atque ob hãc cauſam
confectæ literæ perfringentur, & in ni-
hilũ redigent̃.Actutũ captiui omnes qui
in militum poteſtate reperiẽtur, ſoluto
tamẽ ęquo paríq.facultatib.redẽptionis

pretio ſalui reſtituentur. Negotium iſtud omne Dominorum Ranconii & Trinitei ſententiæ & iudicio committetur. Ad hæc immunes emittētur quot quot illorum iudicio contra belli ius capti cenſebuntur. Dimiſſis pariter ex vallicolis qui ſuæ religionis non rei alterius cauſa ad triremes ablegati fuerint. Denique his omnibus, Meaneis item, Roccapiateis, & Sanbartholomeis cuiuſcunque ſint loci & ordinis (modò ne ſint Miniſtri) promiſcuè ac familiariter habitandi verſandique cum cæteris omnibus ſubditis poteſtas fiet. Singulas item quæ principis ſubiacent imperio Prouincias adire, peragrare, in iiſque commorari, ac merces emere, vendere, eáſque vltro citróque conuehere licebit, ſed ea lege vt nequis illorum (vt antea dictum eſt) concionetur, cœtus conuocet, aut de religione diſceptet: & qui vallium earundem vrbibus ac pagis habitant, ac fines locóſque antea deſignatos incolunt, aliò nō commigrent. Quæ omnia ſi ab eis integrè ſeruentur, haud vlla ſe moleſtia vllóue detrimento affici percipient, imò verò in principis fide

ac clien-

ac clientela tutiſſimi degent. Accedit huc quòd Dux pręedimẽta omnia aduerſus caſus & iniqua ſceleratorum hominum conſilia ita eſt diſſipaturus, vt in ſua quiſque religione trãquillam vitam acturus ſit. Quóque exactius hæc obſeruentur omnia, Georgius Monaſterius Angruniorum Syndicus valliúmque legatus, Conſtãtius Dialeſtinus aliàs Rembaldus Villaricæ actor vniuerſitatis, Pirroneus Arduinus Bobiacorum, Michaël Raymondetus Tailleretinorum & Ruati Bonitenſis ex Turrenſi confinio, nomine miſſi, Ioannes Malanotteus à priuatis quibuſdam Sanioanninis, Petrus Paſchalis à populo vallis Martineæ, ac Thomas Romanus Sangermanus ab eiuſdem loci totiúſque vallis Peruſinę vniuerſitate delegati, ſuo & communitatum nomine ſuperioribus capitibus cõprehenſa piè inuiolatéque ſeruatum iri, vltrò citróque fidem obſtringant: eáque ſi à nonnullis (quod omen Deus auertat) infracta violatáque fuerint, ſe ad eam pœnam quæ Duci placuerit ſubeundam paratos. Spondent præterea ſe vt omnia hæc earundẽ vallium quilibet

Paterfamiliâs confirmet obſeruétque operam daturos. Pollicetur quoque generoſus Dominus, Dominus Raconius Illuſtriſſimum Principem generatim ac particulariter, tam intercedente Sereniſſima Domina Principe quàm ſpeciali gratia, hæc omnia firma, ratáque habiturum. Vtque maior ei rei fides haberetur, hæc eadem ſua manu confirmauit Raconius: quibus ſimiliter cunctarum vallium nomine ſubſcripſerũt Miniſtri, próque ſuis vniuerſitatibus alii qui literas exarare nouerãt. Datum Cauortij, Iunij quinto, anno à Chriſto in crucem acto ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo primo.

PHILIPPVS A SABAVDIA.

Franciſcus Valla, Villaricus Miniſter.
Claudius Bergius, Tailleretinus Miniſter.
Georgius Monaſterius.
Michael Raimondetus.

His

HIs ita Sereniſsimæ Dominæ Duciſſæ gratia & fauore peractis, hactenus optima pace vſus eſt Valdenſis populus. Suàque immenſa bonitate Dominus cùm illum è tot miſerijs ac ærumnis exemiſſet, ei tandem ipſum religioſè & pacata conſcientia colendi facultatem dedit. Idcirco nemo hodie quiſquã eſt qui non videat ſentiátque (niſi planè cæcus ſit ac ſtupidus) Deum voluiſſe vt reipſa intelligerent Valdenſes cæteríque fidelium, ijs qui eum diligunt ac timent, omnia ſimul adiumento eſſe in bonum. Tot ſiquidem quas perpeſſi ſunt calamitatibus (vt antea commemoratum eſt) ad pœnitentiam vitæque emendationem eos bonus ille Pater cæleſtis inducere voluit. Docens reipſa quàm ſtudioſè & confidenter ad paternam ipſius miſericordiam confugere Chriſtúmque ſeruatorem ac redemptorem vnicum amplecti oporteat. Voluit inſuper illos erudire quonam pacto, peruerſas carnis cupiditates domare, & contemptis mundi ſtudijs animos in cœlum euehere, ac in illius ceu benigniſsimi clementiſſimíque Patris ſinum curas moleſtiáſque omnes deponere queant. Vt in pauca contraham, eos in filiorum ſuorum Scholam immiſit, vt qua ratione crucem

æquo animo tollerare, animásque in spe ac patientia possidere valeant edoceret. Imprimis autem ipsius auxilium toties in tempore experti sunt, oculis viderunt, & manibus (vt ita loquar) contrectarunt, vt ipsis & fidelium cuiuis tam benigno patri, déque suorum salute adeò sollicito, ex animo confidendi, spémque omnem in eo collocandi amplissima sese offerat occasio.

Et quò luculentius adhuc istud perspici, suúmque ad vsum quilibet accomodare possit, non abs re fuerit si quid egerint belli tempore paucis explicetur. Simulatque hostiles copias appropinquare animaduertebant, simul omnes opem subsidiúmque diuinum implorare, ac priusquam prælium iniret, orationi precibúsque incumbere. conflictus tempore spiritus ab imo pectore trahere. Hoste interquiescente in genua peruoluti Dominum inuocare. Finita verò pugna quòd eis præstò fuisset, gratias agere. Populi interim cum Ministris reliquiæ, cum suspirijs & fletibus Deum irremissè & ex animo precabantur. Luce iam obscura, denuò conueniebant. Qui prælio interfuerant, Dei admirabile quod erant experti subsidium, alijs prædicabant: atque ita simul omnes de paterna ipsius bonitate

nitate

nitate immortales agebant gratias. Eorum mæror quotidie cum lætitia commutabatur. Quæ sese diluculo magno cum horrore calamitates vndique ostentabant, hæ in nihilum vesperi abibant : vnde amplissimam gaudij solatiique materiam consequebantur. Cum duplici hoste, eóque teterrimo bello nimirum & fame miseri conflictabantur, vt de illis in speciem statim actum iri videretur. Illos autem Deus infinita sua clementia, tot tantísque periculis ereptos, laribus patriæque restituit, in qua iam placidè viuunt. Qui verò illos aperto marte inuaserant, non ij solum qui eorum opibus inhiabant, sed etiam qui suas manus eorum sanguine perfundere gestiebant, pudore suffusi sunt: Cuius rei duo nobis è Lusernensi valle nobiles exemplo esse poterunt.

Omnem illi lapidem mouerant vt bellum non in suos modò subditos, alióśque Euangelicæ doctrinæ alumnos concitarent, sed totis etiam neruis instabant, vt centum nummorum aureorum multas, quas pendere debebant in edicta contumaces, ad se raperent: maximè verò omnium hoc vrgebant, vt subditorum bona in publicum addicta corraderent. Qua de causa in aula Ducis admodum fre-

quentes erant, vbi diutius magnis plerumque sumptibus immorabantur. Sed quia hos nequibant propter tenuitatem sustinere, prædia sua venalia proponebant, quòd semper sperarēt se voti compotes fore. Iam verò mulctas exigere à monticolis præsertim cœperant, imaginabantur enim se totas eorum quoque qui radices montis incolebant publicationes adepturos. Sic ergo ipsi diuites se ac præpotentes fore somniabant, cùm enim ne suas quidem possessiones redimere possent, alienos hortos, agros, villas, reliquásque possessiones, imaginatione suas faciebant, iísque moderandis iam sibi villicos parauerant. Sed omnia illa ludicra fuerunt, & (vt aiunt) verborum vmbræ. Nihil enim aliud omnino consequuti sunt, quàm quod vbi tempus & operam luserunt, opes suas dilapidarunt, vitámque multis exposuerunt periculis, compensationis loco ignominiam pudorémque reportantes.

Quod ad Monachos attinet ac sacrificulos qui rem authoritatémque suam his artibus cumulatè augere studebant, accidit contrà vt quicquid eis dominij in populum hunc reliquum erat amiserint, ac pudore suffusi religionem suam omnium ludibrijs exposuerint. Hac ratione vti solet Dominus in deturbandis

bandis ŷs qui inſolentius ferociunt, eadémque hoſtes ſuos in eas quas foderunt foueas dat præcipites. Illum ergo oremus ſupplices, vt exerto etiamnum hodie brachio, eccleſiam ſuam tantis vndique ærumnis ac calamitatibus agitatam conſeruet: Satanæ & aſſeclarum eius conſilia & machinationes, ad nominis regníque ſui propagationem & gloriam diſcutiat ac euertat. Amen.

W

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVAE IN hac historia tractantur.

A

Anthro-

D

Impe-

Mona-

R

S